MASTER NEGATIVE
NO. 93-81630-3

AUTHOR:

BUSSE, ADOLF

TITLE:

DE PRAESIDUS ARISTOTELIS POLITICA...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

1881

Master Negative #

93-81632-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Busse, Adolf, 1856- ~~Ga 113.160~~
De praesidiis Aristotelis Politica emendandi. Dissertatio inauguralis. Berolini, [1881].
pp. 52. "Vita," p. 51.

Thesis. Berlin.

*Aristoteles-Polit.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/3/93 INITIALS BAP
FILMED BY: Research Publications, Inc.

DE PRAESIDIIS ARISTOTELIS POLITICA EMENDANDI.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIEDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXIX. M. JAN. A. MDCCCLXXXI
HORA XI
PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

ADOLFUS BUSSE
POSNANIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
RUDOLFUS SCHULTZ, CAND. PHIL.
GUILELMUS HARDT, CAND. PHIL.
OTTO DOMMNICK, STUD. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT H. S. HERMANN.
Beuthstrasse 8.

AUGUSTO HOEHNIO

pastori reverendissimo

sacrum.

De codicum illorum quibus Aristotelis politicorum memoria continetur recensione pridem viri docti in diversas sententias abiere neque novissimo politicorum editori Susemihlio[1]) testimoniis codicum collectis atque ad amussim exploratis contigit, ut recte se fundamentum artis criticae factitandae jecisse viris huius rei peritis omnibus persuaderet.[2]) Etenim postquam Goettlingius[3]) ex copiis Hasianis primum scripturis codicum Demetri Chalcondylae et Mediolanensis Ambrosiani in lucem protractis non impetravit, ut Bekkerum omnium consensu harum rerum judicem gravissimum a fide codicis Coisliniani deflecteret, Susemihlius rem ita instituit, ut Goettlingi vestigiis insistens probato Victorii et Schneideri[4]) de potissima auctoritate vetustae translationis Guilelmi de Moerbeka judicio tres codices Demetri, Ambrosianum, deperditum illum, quem Guilelmus vertendo expresserit literis P^a M^s Γ signatos ex uno eodemque archetypo fluxisse statueret[5]) quod et vulgatae recensionis archetypon dignitate atque auctoritate praeces-

---

[1]) editiones prodierunt Lipsiis annis h. s LXXII et LXXIX.

[2]) vide inprimis Bonitzium (Herm. VII. 1872 p. 102) et Vahlenum (Aristot. Aufsätze: comment. cl. hist. phil. Vindob. 1872 p. 54 et Zeitschr. für östr. Gymn. 1874 p. 487.)

[3]) cf. editionem anno h. s. XXIV Jenae emissam et commentariola in opusc. acad. (ed. Cuno Fischer) recusa p. 274 sqq.

[4]) cf. praefationes Victorii editionis alterius (a. MDLXXVI) et Schneideri editionis (a. h. s. IX.)

[5]) codicem Colbertinum vel Parisinum 1858 P^5 hoc loco omittendum esse censui, quod Susemihlius sententiam eam, quam ed. pr. p. XII protulit, certe satis miram mutasse videtur cf. ed. min. p. XV, ubi quamquam recte in numero codicum vulgatae recensionis illum habendum esse dicit, tamen non plane ad rei veritatem eum accessisse, probare conabor excursu I.

sisse et fidelissime nobis proditum esse translatione Guilelmi.[1]) Itaque Susemihlio judice praestantissimum artis criticae praesidium et quasi fundamentum in vetusta illa translatione situm est, a qua omnis emendatio et proficisci debeat et constanter pendere. Quam quidem sententiam alii tam plene rejiciendam esse censuerunt, ut etiam contra Goettingi rationem pugnantes potissimam auctoritatem vulgatae recensionis memoriae tribuerent, alii de fide atque auctoritate translationis dissentiunt, sive quod pro rei natura qualibet translatio fundamentum tam instabile atque incertum praebeat, ut primarium recensionis locum tenere nequeat, sive quia codex Guilelmi ceteris eiusdem familiae dignitate cessisse videatur.

Totam igitur hanc quaestionem quicunque animum inducit ad liquidum perducere, ei duo inprimis officia si quid video praestanda sunt. Primum enim acri judicio investigandum est, quas illi viri docti, quorum operae studiisque ambas recensiones debemus, in textu recensendo rationes secuti sint; quod quidem opus si plene et absolute peractum erit, fieri non potest, quin certissimum de utriusque recensionis fide et auctoritate judicium faciamus; deinde necesse esse puto in dignitatem potioris quam Susemihlius judicat familiae codicum singulorum diligentius aliquanto inquirere, ut conspiciatur, quo necessitudinis vinculo tres illi codices inter se conjuncti esse videantur. Quare quoniam de fide totius familiae ineptum est judicare, nisi singulorum codicum auctoritatem penitus exploraris, vires qualescunque in alteram quaestionem dirimendam mihi proposui intendere, atque hoc libello conabor certius aliquid quantum in hoc genere lubrico fieri potest, statuere de dignitate atque cognatione codicum familiae litera Π^1 notatae.

I.

Sed priusquam ad ipsam rem aggrediamur, paucis disputandum est de iis codicis P^1 scripturis, quae loco correctionum prima manu vel margini adscriptae sunt vel in verbis continuis positae; quode Susemihlius mea opinione subtilius quam verius disseruit atque ita rem egit, ut si in eius sententiam discedamus concedendum nobis sit, quaecunque de codicis P^1 vel totius familiae ingenio statuantur vaccillare omnia atque fluctuare. Etenim confessi

[1]) vide ed. pr. p. XXXI e. q. s.

illum codicem (A), qui Demetrio primarius erat fons, ex vulgata recensione correctum fuisse, fieri non potest quin ubicunque codicem P^1 cum Π^2 contra Γ et M^s concordare videamus, potius codicem *A* in suspicionem correctionis vocemus, quam conjiciamus utrumque codicem Γ et M^s forte fortuna idem passum esse mendum; qua via si longius progrediamur, cum codex M^s teste Susemihlio neglegentissime scriptus nullum fere genus errorum correctionumque non praebeat, nihil prorsus relinquitur fundamenti, quo nisi de fide translationis latinae cum aliqua probabilitatis specie possimus judicare, aut huius familiae archetypon examinare cuius fuerit ingenii atque auctoritatis. Sed ut non dicam immerito illarum correctionum fontem referri ad unam vulgatae recensionis memoriam, quandoquidem multo major pars ne consentit[2]) quidem cum vulgata memoria, quaerentibus nobis quo tandem fundamento confisus Susemihlius codicem *A* correctiones passum esse statuerit nihil apparet nisi quod Demetrius eodem atramento quo continua verba exaravit, in adjiciendis illis correctionibus usus est. Unde quo jure liceat ultra ipsum codicem progredi ingenue confiteor me non videre, praesertim cum inter omnes constet, Demetrium plures codices in usum suum vertisse neque quidquam nos impediat, quominus illum continuo post peractum opus et suum fontem denuo perlustrasse suspicemur et hic illic alios codices inspexisse; id quod non leviter confirmatur iis locis, quibus Demetrius literis vel voculis erasis correctiones in rasuris posuit, quas dubitari non potest quin ipse ex alio quodam codice hauserit.[3]) Itaque tenendum esse censeo, quaecunque codicis P^1

[1]) cf. proll. p. VII sq.

[2]) est quod animadvertatur, ne illas quidem correctiones quae cum Π^2 conspirent oportere ex Π^2 depromptas esse, quia fere omnes dignae sunt quae in textum recipiantur, velut complures voculae in Π^1 omissae, quas Susemihlius non debebat uncis includere aut ejicere e. g. III, 6 1278 b. 20 οὐκ ἔλαττον, II, 8. 1268 b 21 ἤδη, alia id genus.

[3]) hoc ne quis ita redarguere animum inducat, ut ad Susemihli verba p. VIII provocet „partim quidem fortasse Demetri tantum incuria, quamvis in archetypo in ipsis versibus recta legerentur, ab initio ista neglecta“ duo ex multis liceat mihi exempla afferre VIII 5. 1339 b 33, ubi cum in Γ et M^s δεῖ in Π^2 δέοι exstet, Demetrius δεῖ eodem usus atramento in δέοι correxerit, id quod apparet ex vestigio accentus, certe dubium non est, quin Demetrius in cod. *A* δεῖ legerit atque aliunde hanc correctionem hauserit; et III, 1. 1275 a 28, ubi verba καίτοι — ἀρχῆς in Γ et M^s omissa etsi Demetrius eodem atramento margini appinxit, procul dubio in codice *A* non legebantur.

scripturae ad codicem *A* redire videantur, sincera eas archetypi memoria niti neque unquam sine detrimento a nobis neglegi.

Qua re stabilita quamquam vel leviter attendentem notae codicum *Γ* et M^s per omnes libros consociatae videntur docere, ordinem istum, quem Susemihlius codicum *Γ* Π^1 M^s statuerit, a re ac veritate abhorrere, tamen opus est diligentissime in auctoritatem codicis *Γ* inquirere, qua in perspicienda apparet quasi cardinem totius quaestionis situm esse. Omnis autem codicis *Γ* memoria cum posita sit in Guilelmi translatione, primum oportet de illius translationis fide accurate quaeramus; quae quidem quaestio quamquam Victorio Schneidero Susemihlio simplicissima videbatur, quippe qui Guilelmum tam diligenter atque accurate codicem suum expressisse opinarentur, ut nullo negotio graecam memoriam recuperare possemus unoquoque verbo latino in graecum sermonem translato, mea sententia difficillima est atque gravissima, eaque non satis diligenter tractata non possumus non in errores gravissimos incurrere, atque reapse viros illos doctissimos incurrisse certis spero me argumentis probaturum. Sed ut via ac ratione haec quaestio procedat, primum de verbis translationis constituendis pauca disseramus.

II.

Translationis memoria favente fortuna bene magna copia librorum et scriptorum et impressorum nobis est prodita, quos cum Susemihlius sua usus diligentia excutiendos curarit effectum est, ut uberrima lectionum copia suppeditata eam translationis formam possimus extricare, quam confidamus a genuina forma non longe distare. Id quod ut assequamur etiam post Susemihli operam multa esse, quae opus sit arte ac ratione retractentur, facile puto eum concessurum qui vel paucas Susemihli editionis pagellas perlustraverit atque verba contexta comparaverit cum testimoniis codicum, eumque obsecuturum mihi profitenti, Susemihlium saepissime a recta severaque ratione deflectere neque eam memoriae verecundiam servare, qua omnis rei fides nitatur. Hanc sententiam cum multa praesto sunt exempla ad comprobandam, tum ea maximam ad nostram causam habent vim, quibus in pravam partem acceptis etiam graeca verba miserrime vexata esse videamus. Velut V[1]) 6. 1305 b 10 Aristoteles postquam de

[1]) in notandis libris transpositionem librorum IV, V, VI, VII, VIII non curabo, sed utar editione Bekkeri academica.

Massaliae, Istri, Heracleae civitatibus verba fecit, haec dicit: „*Καὶ ἔνθα μὲν πολιτικωτέρα ἐγένετο ἡ ὀλιγαρχία, ἐν Ἴστρῳ δ᾽ εἰς δῆμον ἀπετελεύτησεν, ἐν Ἡρακλείᾳ δ᾽ἐξ ἐλαττόνων εἰς ἑξακοσίους ἦλθεν*, quae Guilelmus recte vertit, nisi quod pro *ἔνθα* codices a c s exhibent „in tho“ b g k l m „in cho“, quod amplexus Susemihlius conjecit „in Co“ et in graecorum verborum textu reposuit *ἐν Κῷ*, conjectura certe infelicissima; nam ut de primaria codicis a auctoritate hic taceam, extra dubitationem positum est, cho pro mera corruptela vocis tho habendum esse[1]) atque Guilelmum de consuetudine aut ipsum „in tha“ pro *ἔνθα* scripsisse, ut pote quod cum *ἐν Ἴστρῳ* et *ἐν Ἡρακλείᾳ* compositum non satis perciperet, aut conjectura usum illud codicibus a c s servatum „in tho“ effinxisse. Ipsum *ἔνθα* autem codicum testimoniis uno ore commendatum non est quod pluribus tutemur, quamquam Susemihlius in ed. min. novam conjecturam eamque non minus mirabilem *ἐν ⟨Μασσα⟩λίᾳ* tentavit.

Eadem ratione translationis discrepantia dispellitur in verbis II, 12. 1274 a 32 *ἦν δ᾽ ὁ Φιλόλαος τὸ μὲν γένος τῶν Βακχιαδῶν, ἐραστὴς δὲ γενόμενος Διοκλέους τοῦ νικήσαντος Ὀλυμπίασιν κτλ.* quorum translationem Susemihlius sic formavit: „erat autem Philolaus de genere quidem Bachidorum, amator autem factus Diocleis qui vicit Olympiadem“ prorsus neglegens codicum a et pr. b scripturam Olimpiasem (depravata literula *y* in *i* ut saepius), quam confiteor mihi unam veram videri, ita ut Guilelmum *Ὀλυμπίασιν* pro nomine a verbo *νικήσαντος* apto accepisse suspicandum sit.

Majoris momenti est V, 8 1308 b 33 *μέγιστον δὲ ἐν πάσῃ πολιτείᾳ τὸ καὶ τοῖς νόμοις καὶ τῇ ἄλλῃ οἰκονομίᾳ οὕτω τετάχθαι, ὥστε μὴ εἶναι τὰς ἀρχὰς κερδαίνειν. τοῦτο δὲ μάλιστα ἐν ταῖς ὀλιγαρχικαῖς δεῖ τηρεῖν*: sic omnes codices graeci *ὀλιγαρχικαῖς*, in translationis codicibus expressum est „in oligarchiis“, unde Susemihlius recepit „*ἐν ταῖς ὀλιγαρχίαις.*“ Sed conferas quaeso haec exempla: III, 5. 1278 a 19, *οἷον εἴ τίς ἐστιν ἣν καλοῦσιν ἀριστοκρατικήν*: „puta si qua est quam vocant aristocratiam“ scilicet in codicibus et Alberti Magni politicis, Susemihlius „ari-

[1]) quod errorum genus saepissime in translationis codicibus occurrit velut p. 509,11 editionis Susemihlianae cod. c habet „croizeniis pro troiceniis“; 411,13 codd. b c g k l „democracia“ pro „democratia“ et quod est appositum ad persuadendum p. 514,9 codices a b c „euchicratem“ vel „eucheratem“ pro „euthycratem.“

stocratiam“ correxit. IV, 2. 1289 b 16 *κἂν εἴ τις ἄλλη τετύχηκεν ἀριστοκρατική*, quae Guilelmus secundum codices transtulit: „et utique si qua alia contigerit aristocratia“ secundum editionem Susemihlianam „et utique si qua alia contigerit aristocratica“ IV, 11. 1296 a 23: qui locus prorsus geminus est nostro: *φανερὸν δ’ἐκ τούτων καὶ διότι αἱ πλεῖσται πολιτεῖαι αἱ μὲν δημοκρατικαί εἰσιν, αἱ δὲ ὀλιγαρχικαί*: „manifestum autem ex his et quod plurimae politiae hae quidem democratiae sunt hae autem oligarchiae“ quibus verbis Susemihlius in adnotatione critica subjecit „nonne democraticae — oligarchicae?“ Quibus ex exemplis manifesto puto apparere, translationi in hac re fidem prorsus nullam habendam esse, neque minus esse pravum translationis verbis emendationes adhibere, quam illa nisum nostrum locum sollicitare, nisi forte quis *ἐν ταῖς ὀλιγαρχικαῖς* cum sermonis usu pugnare opinatur quamvis paucis verbis interjectis praecedat *ἐν πάσῃ πολιτείᾳ*. Quae cum ita comparata sint, ut non satis circumspecte ac diligenter perpensa non possint ei non fraudi esse, qui potissimum emendationis praesidium in translatione ponat, ne minutias quidem in hac re neglegendas esse censeo, utpote quae facile ansam nobis praebeant, graviores quaestiones recte dirimendi. Itaque Susemihlio non adstipulor „et quidem“, quae est rectissima et Guilelmi rationi apta translatio particulae *καίτοι* constanter mutanti in „equidem“ velut I, 6. 1255 a 29 (23,8),[1]) VII, 3. 1325 a 34 (253,10), V, 12. 1316 a 23 (592,7) saepius; eandem injuriam inprimis multae particulae passae sunt quas Guilelmus paullo liberius vertisse videtur: sic *καὶ — δὲ* I, 10. 1258 a 26 (42,7) et fere semper translatum est per „et — etiam“, quod Suhsemihlius correxit in „et — autem.“ Eadem ratio cadit in III, 4. 1277 b 16: *καὶ ἀνδρὸς δὴ ἀγαθοῦ ἄμφω*: „et viri etiam boni ambo“ IV, 5. 1292 b 10 *καὶ καλοῦσι δὴ τὴν τοιαύτην ὀλιγαρχίαν δυναστείαν*: „et vocant etiam talem oligarchiam potentatum“, quibus locis sive Guilelmus errore usitatissimo *δὲ* pro *δὴ* legit sive ipsum *δὴ* hac conjunctione per etiam expressit, quod ceteris locis aut per utique aut per itaque vertit[2]), haud

[1]) numeri cancellis inclusi pertinent ad translationis verba ed. Susem.

[2]) Verum III, 13. 1283 a 37. *ὁμοίως δὴ φήσομεν δικαίως καὶ τὴν ἀρετὴν ἀμφισβητεῖν*, quae Guilelmus secundum eos codices, quos penes aliqua auctoritas est, nudum *δὴ* per etiam vertit: „similiter etiam dicemus jure et virtutem altercari“, ubi Susemihlius deterrimos quosdam codices et personatum Plutarchum in libro de nobilitate *δὲ* exhibentem secutus reposuit *ὁμοίως δὲ φήσομεν*. Particulam *δὴ* hic nullam habere offensionem atque etiam suum tenere locum, disci potest ex iis, quae Vahlenus (poet.[2]p.161) de huius particulae usu digessit.

dubie injuria „et — etiam“ emendatum est. Etiam longius hac via progressus Susemihlius V, 4. 1304 a 33 *καὶ ὅλως δὴ δεῖ τοῦτο μὴ λανθάνειν* postquam in translatione „et universale etiam oportet hoc non latere“ „etiam“ in „autem“ mutavit, pro *δὴ*, quod Spengelius ante exulare jussit, scripsit *δέ*; sed *καὶ ὅλως δή* rectissime se hoc loco habere demonstravit Vahlenus ed. art. poet. [2] p. 161. Ac ne id quidem concedo Susemihlium secundum Thomae Aquinatis explanationem, cuius contra consensum codicum prorsus nulla fides est, VIII, 5. 1340 a 41 (355,5) „sed non“ (*καὶ μὴ*) recte mutasse in „et non“ neque II, 9. 1270 b 3 (129,4) „est autem“ (*ἔστι γὰρ*) in „est enim“, quorum illud dictum est ex consuetudine sermonis latini, hoc a Guilelmi ratione non alienum, ut docent VII, 17. 1336 b 28 (330,4) „forte autem“ pro *ἴσως γὰρ*, VIII, 1. 1337 a 14 (332,6) „oportet autem“ pro *δεῖ γὰρ* alia id genus.

His exemplis praemissis, quibus satis puto comprobatum esse, propterea quod Susemihlius in verbis translationis constituendis non codicum solum testimoniis nixus sit sed seductus illa opinione qua putabat interpretem graeca verba diligentissima usum fidelitate singula vertendo expressisse semper graecorum codicum memoriam respexerit, nos in perpendendis translationis rationibus non posse gravissimos errores cavere, nisi singulis locis ad codicum testimonia redeamus, experiamur si quid de translationis memoria eiusque universa emendandae ratione habeamus, quod cum emolumento addatur. Nam quamquam Susemihlius suo jure statuit codicem „a“ ceteris auctoritate ac fide longe praestare, tamen cum ex exemplis modo allatis eluceat eum justo saepius huius codicis memoriam neglexisse tum ceteris codicibus multo minorem vim ea de causa tribuendam esse censeo, quia ad unum omnes archetypon redire videntur, quod a correctore quodam multas accepit emendationes sive ex alia translatione[1]) sive ex codice graeco depromtas. Qua de re non puto quemquam dubium fore, si hos locos mecum perlustraverit. I, 10. 1258 b 5. (43,11) codex a pr. m. praebet nudum thocos, in ceteris additum est usura, quod procul dubio interpretamentum genuinae vocis

[1]) Nostram non unam fuisse illa aetate translationem, apparere videtur ex notis Alberti Magni, quem cum laudet „aliam translationem“ Susemihlius rectissime observavit (cf. proll. p. XLII.) non alius nostrae translationis codicis scripturam proferre, quippe quae nimis a codicum nostrorum memoria discrepet, sed aliam translationem velle intellegi.

tocos est. II, 6. 1265 b 5 (89,12) cod. a: jugarios. ceteri: dejectos, quae est liberior translatio vocis *περίζυγας* aut *παράζυγας*. I, 11. 1259 a 11 (47,6) in codice a leguntur certe vera: „et adhuc hieme existente abundantem pecuniis paucis arrabonas dedisse“ (*ἔτι χειμῶνος ὄντος εὐπορήσαντα χρημάτων ὀλίγων ἀρραβῶνας διαδοῦναι*) ex cetororum variis scripturis haec extricari possunt: „hieme existente promptus sive pocius viarum modicarum arrabones“, quae quamquam misere corrupta sunt, tamen sub pocius viarum latet pecuniarum et promptus exhibet translationom verbi *εὐπορήσαντα* II, 12. 1274 b 6 (148,8) *δίκαι* in codice a translatum est per corruptum „*ι̃δι̃*one“, in ceteris per „vindictae“, quod non dubito pro emendatione corruptelae habere et reponendum esse puto „punitiones“. VIII, 3. 1338 a 29. (340,4) verba Homeri: *δαιτυμόνες δ᾽ ἀνὰ δώματ᾽ ἀκουάζωνται ἀοιδοῦ ἥμενοι ἑξείης* prorsus mirifice in codd. melioribus, inter quos cod. a, sic conversa legimus: „congregati super tecta audiunt philomenam sedentes deinceps“ quae formam suam ineptam inde videntur accepisse, quod Guilelmus „*ἀνὰ δώματ᾽*“ perperam intellecto ipse menti suae sensum quamvis absurdum informavit; alii autem codd. cum exhibeant „epulantes si audiant cantantem cantilenam residentes continuo“ translationem et a sensu rectam et accommodatam ad verba graeca, concludendum est, in archetypo alterius familiae fuisse haec verba ex alia quadam translatione margini adscripta et ab aliis librariis pro ineptis illis sed haud dubie genuinis esse recepta ab aliis repudiata. Praeterea id magni est momenti, quod uno codice a saepius ea translationis verba, quae omni sensu destituta sunt nobis prodita esse videmus: ut II, 9 1271 a 27 (127,6) amicabilia: *φιλίτια* quae scriptura ex *φιδίτια* depravata in codd. P^1 et M^s exstat. III, 11. 1281 b 8 (192,6) Kries: *κρίης*[1]) quod ex *κρίνουσι* corruptum codd. M^s ser-

---

[1]) hanc vocem quia in codd. a g sequitur „meliores,“ non „melius“, Susemihlius conjecit, meliores corruptum esse ex melior atque in archetypo codicum P^1 M^s Γ fuisse *κριτὴς ἀμείνων* pro *κρίνουσιν ἄμεινον*. Quae ratio admodum contorta meo sensu mirum quantum a veritate abhorret. Nam cum in cod. M^s nullum exstat vestigium scripturae *ἀμείνων*, tum illud meliores apertam speciem conjecturae prae se fert, utpote quod sine dubio ex eius mente profectum sit, qui Kries pro nomine pluralis numeri acceperit. Huiusmodi autem leviusculas correctiones codici a non deesse, nec mirum est et exemplis quamvis paucis constat ut 140,11 „reges et duces et exercitus“ pro „reges et duces exercitus“. Itaque *κρίνουσιν ἄμεινον* genuina archetypi scriptura erat, quam solus cod. P^1 servavit.

vavit. Neque casu factum esse puto, quod I, 13. 1260 a 3 interpretamentum Guilelmi *ἀρχόντων* in uno codice a legitur.[1])

Sed subsistamus in quaestione quae ad summam rei minoris ponderis est; facile enim collectis exemplis censeo nobis persuasum esse, potissimam memoriam translationis repetendam esse ex codice a cuius contra auctoritatem plenus ceterorum consensus nullam prorsus vim habeat nisi mendum codicis a plane perspiciamus; omnes autem huc spectantes locos recensere et longum est et supervacaneum, praesertim cum si reapse ut spero inter nos convenerit, translationi non eam posse auctoritatem vindicari, ut primarium locum omnium testium teneat, ne digna quidem illius memoria videatur, qua in recensenda atque perpendenda tempus teramus.

III.

Transeamus igitur si placet jam ad eam disputationis partem, qua nobis propositum est, ut acrius paullo atque diligentius inquiramus, quo jure quave injuria Victorius Schneiderus Susemihlius alii viri doctissimi opinata Guilelmi fidelitate nisi tanquam sinceram codicis graeci memoriam illa translatione contineri putaverint, atque quantum fieri potest quasdam investigemus interpretis rationes transferendi, quibus perspectis fides ac vis translationis clariore in luce collocetur. Quae quidem quaestio ut gravissimum habet pondus ad summam controversiae dijudicandam, ita admodum ardua atque impedita est, quia non facile perspicitur, unde profecti id fundamentum sat stabile firmumque possimus consequi, quo confisi certo judicio dirimamus utrum a codicis librario an ab interprete latino quaelibet discrepantia orta esse videatur. Quamquam hoc primo obtutu suspicor nos perspicue cognoscere, collocationem verborum a Guilelmo non solum non anxie servatam esse, ut Susemihlius judicat (cf. proll. p. XXXIII), sed potius libertate a fide illa quam viri docti statuerunt longe abhorrente ad libidinem esse mutatam; id quod ex iis locis luculenter apparet, quibus Aristotelis verborum ordinem, quem scimus saepissime a solemni scriptorum graecorum ordine esse alienissimum, ex certo quodam consilio ita turbatum esse videmus, ut ea, quae forma ac sensu cohaereant etiam collocatione arctius conjungantur, quod consilium si quis vel paucas translationis paginas perlustraverit nullo ne-

---

[1]) cf. pag. 33 n. 2.

gotio confido perspectum iri, neque opus est, nisi in re clarissima putidi esse velimus prolixa argumentatione demonstrare.[1])

Totius autem quaestionis recte dirimendae causam quamvis levem videntur notae illae in quibusdam codicibus translationi adjectae praebere, quibus ipsum Guilelmum locis casu corruptis vel decurtatis de suo conjecturas adhibuisse traditur. Sic VIII, 5. 1340 a 12 codex *Γ* pariter atque codex M^s duobus verbis deficientibus haec exhibuit *ἔτι δὲ .... τῶν μιμήσεων γίγνονται πάντες συμπαθεῖς, καὶ χωρίς .... ῥυθμῶν καὶ τῶν μελῶν αὐτῶν*, nisi quod codex M^s vocis *ἀκροώμενοι,* quae post *ἔτι δὲ* intercidit duas primas literulas servat; quas tamen fortasse Guilelmus in codice suo incuria neglexit. Hunc defectum ex quibusdam translationis codicibus conspicitur Guilelmum resarcire conatum priore loco „manifestum quod“ altero „imitatione“ addidisse conjectura sane satis infelici atque perversa.[2]) Melius nisi fallor bono monacho res cessit III, 5. 1278 a 27 *ἐν Θήβαις δὲ νόμος ἦν τὸν δέκα ἐτῶν μὴ ἀπεσχημένον τῆς ἀγορᾶς μὴ μετέχειν ἀρχῆς,* ubi et cod. M^s pro *ἀρχῆς* corruptam

---

[1]) Cui dubitatio levissima inhaeret, conferat quaeso I, 11. 1259 a 35 *διόπερ τινὲς καὶ πολιτεύονται τῶν πολιτευομένων ταῦτα μόνον:* „propter quod et quidam civiliter conversantium civiliter conversantur per haec solum.“ II, 6. 1265 a 14 *ἐπεὶ καὶ τὸ νῦν εἰρημένον πλῆθος δεῖ μὴ λανθάνειν ὅτι χώρας δεήσει τοῖς τοσούτοις Βαβυλωνίας ἢ τινος ἄλλης ἀπεράντου τὸ πλῆθος,* quae in translatione ita turbata legimus, ut *χώρας* cum *Βαβυλωνίας* componatur et *τὸ πλῆθος* referatur ad *τοῖς τοσούτοις*: „quia regione Babylonica vel aliqua alia infinita opus erit tot multitudine“, cui collocationi cur Susemihlius subjiciat „nescio an recte“ non video, nam *χώρα ἀπέραντος τὸ πλῆθος* recte dici, in promptu est.

II, 4. 1262 b 13 *καὶ γενέσθαι ἐκ δύο ὄντων ἀμφοτέρους ἕνα:* „et ambos fieri unum ex duobus existentibus“ alia plurima, quae singula proferre infiniti et laboris et spatii est, neque quidquam habet utilitatis, quoniam hac quidem in re Susemihlius non passus est, in fraudem se vocari.

[2]) Susemihlius cum ante *ῥυθμῶν* plura intercidisse putat, quam quod praebent codd. P^1 et Π^2 „*τῶν*“, nodum in scirpo quaerit neque quidquam profecit inserendo *τῶν λόγων διὰ,* quod quid hoc loco sibi velit, equidem non assequor. Commodissime vero Aristotelem hic dicere, similes imitationibus affectus pati et qui separatim imitationes numerorum atque modorum audiant, elucet ex iis, quae explicationis causa adjiciuntur v. 18 *ἔστι δὲ ὁμοιώματα μάλιστα παρὰ τὰς ἀληθινὰς φύσεις ἐν τοῖς ῥυθμοῖς καὶ τοῖς μέλεσιν ὀργῆς κτλ.* atque inprimis vv. 38 usque ad 1340 b 10, quibus demonstratur et in modis esse imitationem morum (*ἐν δὲ τοῖς μέλεσιν αὐτοῖς ἐστι μιμήματα τῶν ἠθῶν*) et in numeris (*τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον ἔχει καὶ τὰ περὶ τοὺς ῥυθμούς*). In abundantia autem *χωρὶς* et *αὐτῶν* cumulatorum offensionem esse, nemo serio contendet.

vocem *ἀρετῆς* praebet et Guilelmus vertit „virtute“, quam ad vocem in cod. a haec verba addita sunt: „principatu fortes interpres“, quae omni sensu destituta ita restituenda mihi esse videntur ut fortes in fortasse corrigatur et ipsum Guilelmum cogitetur verba „principatu fortasse“ ad „virtute“ adscripsisse. Sed ut libere dicam quod sentio haec conjectura nimis ingeniosa est, quam quae ex ingenio interpretis orta esse videatur; itaque illa scriptura aut ex codicis *Γ* varietate lectionum hausta est aut ex alio quodam codice deprompta, quem ad fontem haud dubie id quoque redit, quod III, 17. 1288 a 13 (235,2) ad vocem opulentis (*εὐπόροις*) a recentiore manu codicis a margini appictum est „seu egenis, ut dicit translator se invenisse et bene“, quorum si „et bene“ a Guilelmo profecta sunt, ipsa quoque indicio sunt non ita magnae illius sagacitatis. His igitur ex notis, quibus se aggregant paucae glossae, quas probabile est Guilelmo deberi, pro certo colligitur, Guilelmum non ita rem suam instituisse, ut sententias nihil curans satis haberet verbum verbo expressisse, sed et ubique videri nexum sententiarum respexisse et depravatos locos studuisse conjecturis sua sponte excogitatis adjuvare. Quamquam confitendum est satis leviter atque inconsiderate eum se gesturum esse, qui solis his exemplis nixus ubicunque aliqua in translatione discrepantia accurrat Guilelmi conjecturam oleat; atque etiam fieri potest, ut in contrariam partem ratiocinando ex illis adnotationibus colligatur, Guilelmum laudabili usum diligentia codicis sui varietatem lectionum significasse neque apertis mendis conjecturas adhibuisse nisi in notis adscriptas. Itaque nulla fere utilitas ex illis notis capitur, nisi certis argumentis ex ipsa translatione depromptis amplissimam illam corrigendi licentiam confirmemus. Quae cum invenisse mihi videar pauca de multis exempla huc pertinentia afferam.

Maxime autem ad persuadendum appositos esse apparet eos locos, quibus et causa conjiciendi et ratio perspiciatur, id quod inprimis cadit in V, 1. 1301 a 31. *ὀλιγαρχία δὲ* (sc. *ἐγένετο*) *ἐκ τοῦ ἀνίσους ἕν τι ὄντας ὅλως εἶναι ἀνίσους ὑπολαμβάνειν,* ubi pro *ἕν τι* cod. P^1 pr. m. exhibet *ἑ. τι* lacuna unius literulae ante *τι* relicta, cod. M^s correctionem passus *ἔτι,* Guilelmus vertit „in quocunque“. Itaque dubium non est, quin librarius codicis P^1 solus genuinam archetypi scripturam servaverit atque facile perspicitur unde Guilelmi conjectura „in quocunque“ petita sit, cum haec praecedant *δῆμος μὲν ἐκ τοῦ ἴσους ὁτιοῦν ὄντος οἴεσθαι ἁπλῶς ἴσους εἶναι,* quae sunt in translatione: „demos quidem enim factus est

ex eo, quod est aequales in quocunque existentes putare simpliciter aequales esse.“ Cui exemplo geminum est, quod invenitur in VII, 11. 1330 b 14 *ἡ δὲ τῶν ὑδάτων καὶ τοῦ πνεύματος δύναμις ταύτην ἔχει τὴν φύσιν*: „aquarum autem et spiritus natura hanc habet naturam“, in quibus cum ceteris locis Guilelmus *δύναμις* vertat per potentiam, vox natura suspicionem movet emendationis ex posteriore „naturam“ depromptae, quae quidem suspicio multam inde accipit probabilitatem, quod in codice M^s *δύναμις* omissa est. Verum tamen hoc forte dubitationi obnoxium videtur; verissimum est, quod legitur IV, 4. 1292 a 2 *ἕτερον δὲ εἶδος δημοκρατίας τὸ πᾶσι μετεῖναι τῶν ἀρχῶν ἐὰν μόνον ᾖ πολίτης, ἄρχειν δὲ τὸν νόμον. ἕτερον εἶδος δημοκρατίας τἆλλα μὲν εἶναι ταὐτὰ κύριον δὲ τὸ πλῆθος καὶ μὴ τὸν νόμον*, quae sic translata sunt: „altera autem species democratiae alia quidem esse eadem principatuum, si solum sit civis principari autem legem, altera autem species democratiae alia quidem esse eadem, dominans autem esse multitudinem et non legem.“ Nam cum eluceat, prioris enunciati verba „alia quidem esse eadem“ conjectura sane ineptissima de altero esse sumpta, tum causa huius emendationis perspicitur ex memoria codicis P^1 pr. m.[1]), qui *τὸ πᾶσι* in rasura habet et *μετεῖναι* depravatum in *εἶναι*.

Hac Guilelmi ratione detecta speramus nos locis quibusdam lucem allaturos qui non poterant non viris doctis negotium facessere; velut VII, 1. 1323 a 27—34, quem locum Vahlenus[2]) commentatione tam luculenta expedivit, ut nihil habeam, quod de praestantia atque integritate codicum memoriae adjiciatur. Neque vero tamen Susemihlius a fide translationis defecit atque in ed. min. supremam enuntiati partem codicibus uno excepto codice M^s sic proditam: *ὁμοίως δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν διάνοιαν οὕτως ἄφρονα καὶ διεψευσμένον κτλ.* secundum translationem formavit *ὁμοίως δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν φρόνησιν ἔχει, οὐδὲ γὰρ μακαρίζουσιν οὕτως ἄφρονα και διεψευσμένον κτλ.*[3]) Quae scriptura unde causam et originem ceperit jam non dubitationi obnoxium est respicientibus nobis, in codice M^s quem

---

[1]) in codice M^s per homoeoteleuton, ut saepius, haec verba exciderunt.

[2]) Aristot. Aufsätze II p. 8. n. 1.

[3]) idque complexus conjecturam Schneideri, qui tamen in eo cautius se gessit, quod *διάνοιαν* servandam esse putavit cf. ed. II p. 399.

codici *Γ* geminum esse et videbamus et saepius videbimus, *τὴν διάνοιαν* in lacuna omissum esse, quod vitium certum est ad archetypon horum codicum redire. Neque verendum esse puto, ne ratio nostra eo in suspicionem vocetur, quod plura verba quam quae interstitio in codice M^s relicto comprehendantur, a correctore inserta sint quoniam et librarii codicis *Γ* in relinquenda lacuna diligentia nobis obscura est et constructionis difficultate, qua verba *ὁμοίως δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν διάνοιαν οὕτως ἄφρονα* ex *οὐδεὶς γὰρ ἂν φαίη μακάριον* apta laborant, facillime corrector potuit adduci, ut ex ipsis his verbis *οὐδὲ γὰρ μακαρίζουσι* depromeret et addito verbo *ἔχει* enuntiatum fingeret integrum. Eademque ratione non dubito quin judicandum sit de discrepantia translationis II, 7. 1267 a 17, ubi codices praebent: *ἔτι τὰ πολλὰ βούλεται* (cod. M^s *βουλεύεται*) *κατασκευάζειν ἐξ ὧν τὰ πρὸς αὑτοὺς πολιτεύσονται καλῶς, δεῖ δὲ καὶ πρὸς τοὺς γειτνιῶντας καὶ τοὺς ἔξωθεν πάντας*, Guilelmus vertit: „adhuc multa opus est constitui, ex quibus ad se ipsos conversentur bene“ e. q. s. Etenim et recte Dittenbergerus[1]) Coraem et Susemihlium in codicum scriptura offendentes refutavit neque a vero videtur aberrare, qui corrupta codicis M^s scriptura *βουλεύεται* nisus conjiciat archetypon codicum *Γ* et M^s aliquid vitii contraxisse, quod Guilelmum ut elueret ex enuntiato insequenti *δεῖ* ascivisse et ut saepissime verbum *κατασκευάζειν* vertisse in formam passivam. Multo autem gravioribus difficultatibus implicatus esse videbatur locus qui legitur VII, 11. 1330 a 34 *τὴν δὲ πόλιν ὅτι μὲν δεῖ κοινὴν εἶναι τῆς ἠπείρου καὶ τῆς θαλάσσης καὶ τῆς χώρας ἁπάσης ὁμοίως ἐκ τῶν ἐνδεχομένων, εἴρηται πρότερον. αὐτῆς δὲ πρὸς αὑτὴν εἶναι τὴν θέσιν εὔχεσθαι δεῖ κατατυγχάνειν πρὸς τέτταρα δὴ βλέποντας,* quae verba varios in modos a viris doctis addubitata sunt atque sollicitata. Verum ego me confiteor non eam in his difficultatem invenire, quae ad conjecturam confugere nos cogat ac ne Bekkero quidem adsentiar, qui opinata auctoritate codicis P^5 fultus in editione altera *εἶναι* seclusit. Nam in explicandis verbis *αὐτῆς πρὸς αὑτὴν εἶναι τὴν θέσιν* Goettlingius[2]) proxime ad veritatem acce-

---

[1]) Göttinger Gelehrte Anzeigen 1874 p. 1365. Dittenbergero nunc Susemihlius quoque adsentibur cf. De Politicis Aristoteleis quaestionum particula VII (index scholl. Gryphiswald. aest. anni MDCCCLXXV) et ed. min. p. 200.

[2]) vide adnotationem ad hunc locum adjectam.

dit, cum comparat usitatissimum illud *ἑκὼν εἶναι* absolute dictum et post Hemsterhusium (ad Lucian. I p. 321 ed. Bip.) testatur verba VIII, 3. 1338 a 34 *νῦν δὲ τοσοῦτον ἡμῖν εἶναι πρὸ ὁδοῦ γέγονε κτλ.* Hoc autem dicendi genus videtur latius patere neque tam arctis finibus circumscriptum esse, ut in certis tantum vocibus velut *τὸ ἐπ᾽ ἐμοὶ εἶναι, τὸ νῦν εἶναι, ἑκὼν εἶναι* aliis usurpetur, cum apud Platonem Politic. 300c etiam legatur: *οὐκοῦν μιμήματα μὲν ἂν ἑκάστων ταῦτ᾽ εἴη τῆς ἀληθείας, τὰ παρὰ τῶν εἰδότων εἰς δύναμιν εἶναι γεγραμμένα.*[1]) Neque recte videtur Heindorfius ad Plat. Protag. 317c (p. 490 ed. Heind.) *ἐγὼ δὲ τούτοις ἅπασι κατὰ τοῦτο εἶναι οὐ ξυμφέρομαι,* quamquam contra Hemsterhusium alios suo jure disputavit verbum *εἶναι* in his conjunctionibus nullo modo abundare, omissum hoc loco articulum ab usu et consuetudine abhorrere, id quod facile est plurimis exemplis reprobare. Qua ratione si nostro loco *αὐτῆς πρὸς αὐτὴν εἶναι τὴν θέσιν* accipiendum esse statuimus, totum enuntiatum videtur omni offensione carere, nisi forte quis verbi *κατατυγχάνειν* objectum expetit, quod nullo negotio ex posterioribus auditur, aut particulam *δή* exemplo Schneideri suspectam habet, quam omissam sane in codicibus vulgatae recensionis propensus sum servare atque ita explicare, ut praecedentis vocis *τέτταρα* vis ac pondus commode augeatur.[2]) Quodsi scripturam omnium codicum auctoritate fultam a Graeci sermonis nullo modo alienam esse perspeximus, restat ut de discrepantia vetustae translationis „ipsius autem ad se ipsam, si ad votum oportet adipisci positionem, quatuor utique respicientes ...“ quaeramus, cui nullam prorsus antiquitatis fidem tribuendam esse pro certo habeo. Namque hoc quoque loco favente fortuna codex M^s viam huius rei disquirendae satis certam nobis monstrat, quippe qui verbum *εὔχεσθαι* praebeat vitio conversum in *ἄρχεσθαι.* Quod cum omni sensu destitutum in translatione omnino desit, non dubito concludere, mendum aliquod in archetypo hoc verbum occupasse, cui Guilelmum ut medelam adhiberet sensu enuntiationis fere servato verba ex alio quodam loco petiisse. Neque difficile est

---

[1]) Miro errore hauc rationem erant qui adhiberent Soph. Oed. Col. versui 1191 *θέμις σέγ᾽ εἶναι κεῖνον ἀντιδρᾶν κακῶς,* quos Reisigius etsi in comment. crit. ad Oed. Col. p. 342 sqq. recte refutavit, haud dubie conjectura sua fallitur: vide Hermannum ad hunc versum. Praeterea de hac dicendi ratione egerunt Lobeckius ad Phryn. p. 247. Hermannus ad Viger. p. 888.

[2]) cf. Eucken „de Aristotelis dicendi ratione“ I. Goett. 1866.

illum locum invenire, cum huius libri c. 5. 1327 a 4 haec legantur: *τῆς δὲ πόλεως τὴν θέσιν εἰ χρὴ ποιεῖν κατ᾽ εὐχήν, πρός τε τὴν θάλασσαν προσήκει κεῖσθαι καλῶς κτλ.*

Eodem denique redire videtur locus quidam, quem viris doctis magnas video difficultates creasse. Etenim III, 16. 1287 a 25 vulgata memoria haec verba prodita sunt: *ἀλλὰ ἐπίτηδες παιδεύσας ὁ νόμος ἐφίστησι τὰ λοιπὰ τῇ δικαιοτάτῃ γνώμῃ κρίνειν καὶ διοικεῖν τοὺς ἄρχοντας*: in P' et M^s codicibus omissum est *παιδεύσας* et in Guilelmi translatione „sed universale lex instituit reliqua justissima sententia judicare et disponere principes“ insuper pro *ἐπίτηδες* expressum est universale, quod amplexus Susemihlius arrepta Schneideri opinione (cf. ed. II. p. 218) scribit *ἀλλὰ τὸ καθόλου ἐπίτηδες παιδεύσας,* quamquam commodissime putat difficultatem ita expediri, ut *ἐπίτηδες* funditus evertatur. Hac ratione, ut opinor, haud quidquam potest pravius excogitari, nisi forte ita nos scriptorum libris et casu et consilio deformatis genuinum splendorem reddere putamus, ut ubique scripturas aliquo modo impeditas exulare jubeamus, atque foveamus eas, quas quilibet insciens atque imprudens corrector potuerit conjiciendo assequi. Itaque hoc loco et Susemihlius perquam perverse mihi videtur judicasse *ἐπίτηδες* a nescio quo interprete esse intrusum, neque ii me habent adsentientem, qui emendatione hanc vocem egere opinentur.[1]) Nam acrius attendentem fugere non potest, *ἐπίτηδες* Aristotelem voluisse ad *τῇ δικαιοτάτῃ γνώμῃ* referri, ut consilium illud *νόμου* homines educandi potissimum conspiciatur in inserenda justitia ac probitate ac si quid video aptissime personae partibus indutis dicitur *τὸν νόμον* magistratus eo consilio instituere, ut instituti ex sua sententia justissima discernerent; *τὰ λοιπὰ* autem si quis opinetur notionem qualis est *τὸ καθόλου* ante desiderare, sciendum est hanc vocem nihil sibi velle nisi ut de more scriptorum Graecorum participium *παιδεύσας* repetatur atque accuratius describatur. Nec non verbum *ἐφίστησι* Schneidero adstipulor defendenti ascito Isocratis Areop. 37 *οὕτω γὰρ ἡμῶν οἱ πρόγονοι σφόδρα περὶ τὴν σωφροσύνην ἐσπούδαζον, ὥστε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν ἐπέστησαν ἐπιμελεῖσθαι τῆς εὐκοσμίας,* quocum facit Demosth. 26,22 *καὶ κύνα μὲν ἐπὶ ποίμνην ἀγεννῆ καὶ φαῦλον οὐδ᾽ ἂν εἷς ἐπιστήσειε φυλάττειν.* Quare quoniam verba codicibus

---

[1]) velut Schmidtius ex uberrima sua conjecturarum copia hic promens *παιδεύσας ὁ νόμος ἐπιτηδεσ ⟨τάτους⟩.*

tradita omnibus numeris perfecta esse videntur,[1]) a me impetrare non possum, ut casu prorsus incredibili illud *τὸ καθόλου* in omnibus codicibus omissum esse credam, quo servato codicis *Γ* librarium solum *ἐπίτηδες* neglexisse, sed uni Guilelmo puto omnem discrepantiam deberi, qui sive *ἐπίτηδες* in codice depravatum legit sive non satis percepit conjecturam videtur tentasse, cuius fontem facili opera deprehendimus in huius libri c. 15. 1286 a 10 *δοκεῖ δὴ τοῖς νομίζουσι συμφέρειν βασιλεύεσθαι τὸ καθόλου μόνον ὁ νόμος λέγειν.*

IV.

Quae adhuc attulimus exempla non sine jure communi quodam vinculo ideo comprehensa sunt, quia omnis ad unam redeunt Guilelmi rationem satis rudem atque inconditam vestigiis memoriae plane neglectis menda ita corrigendi, ut ex locis aliquo modo similibus integra verba vel plura vel pauciora reponantur. Relicuae autem sunt permultae conjecturae, quae quamquam leviores sunt leviusque verba tradita sollicitant ad comprobandam sententiam nostram de mira Guilelmi libertate atque etiam levitate non minorem habent vim et gravitatem. Huc spectare puto translationem verborum, quae leguntur III. 13. 1283 a 35 *ἡ δ' εὐγένεια παρ' ἑκάστοις οἴκοι τίμιος*: „in genuitas autem apud quoscunque habetur honorabilis," in quibus qua via ortum sit „habetur" pro *οἴκοι* facile est intellectu. Tradita autem verba satis fulciuntur I, 6. 1255 a 33 *αὑτοὺς μὲν γὰρ οὐ μόνον παρ' αὑτοῖς ἀλλὰ πονταχοῦ νομίζουσι, τοὺς δὲ βαρβάρους οἴκοι μόνον.* Neque quidquam fidei aut auctoritatis puto habere, quod II, 11. 1273 b 14 *κοινότερόν τε γὰρ καθάπερ εἴπομεν*[2]) *καὶ κάλλιον ἕκαστον ἀποτελεῖται τῶν αὐτῶν καὶ θᾶττον* Guilelmus vertit: „communius enim sicut diximus et pulchrius unum quodque perficitur ab eisdem et velocius" quibus

---

[1]) nam *παιδεύσας* in altera recensione mero errore omissum nullius est momenti.

[2]) Mira sunt quae Susemihlius et Bernaysius protulerunt de transponendis verbis *καθάπερ εἴπομεν,* quae rectam et aptissimam tenent sedem. Neque enim dubito, quin Carolus Stahrius suo jure *καθάπερ εἴπομεν* statuerit non solum ad *κοινότερον* pertinere sed etiam ad *κάλλιον* et *θᾶττον,* quae ratio nullo modo neque cum sermone neque cum sensu huius loci pugnat, quoniam in propatulo est, his verbis nos non ad proxima *πολιτικώτερον πλείονας μετέχειν τῶν ἀρχῶν καὶ δημοτικώτερον* remitti sed ad verba versus 9 *ἓν γὰρ ὑφ' ἑνος ἔργον ἄριστ' ἀποτελεῖται.*

Susemihlius antiquam opinatus subesse memoriam, quae propius ad veritatem accedat quam codicum superstitum scriptura, proposuit scribendum *ἀποτελεῖται ἢ ὑπὸ τῶν αὐτῶν,* vel *ἀποτελεῖται οὕτως ἢ ὑπὸ τῶν αὐτῶν,* ex quibus quo artificio ille sensus possit extricari, quem Susemihlius supposuit cum vertit: „als wenn für alles dieselben Personen wären" hoc non video neque quemquam puto videre.[1]) Quodsi dubitari non potest, quin nudum *ὑπὸ τῶν αὐτῶν* sano sensu careat, efficitur, ut translationis scriptura eius conjecturae debeatur, qui sententiarum nexu non penitus perspecto *τῶν αὐτῶν* cum *ἀποτελεῖται* conjungendum opinatus sit. Atque etiam III, 9. 1280 a 28 *οὐ γὰρ εἶναι δίκαιον ἴσον μετέχειν τῶν ἑκατὸν μνῶν τὸν εἰσενεγκόντα μίαν μνᾶν*, quod translatio exhibet: „non enim esse justum aequum participare centum talentis unum, qui intulit mnam unam", quamquam talis exaggeratio ab Aristotelis more non abhorret, dubius sum num ex vetusta memoria haustum sit.

Alios qui hinc faciunt locos notabile est, apertam atque manifestam docere necessitudinem codicum *Γ* et M^s, quae quidem longe luculentissime conspicitur ex VII, 14. 1334 a 2 *ὅτι δὲ δεῖ τὸν νομοθέτην μᾶλλον σπουδάζειν ὅπως καὶ τὴν περὶ τὰ πολεμικὰ καὶ τὴν ἄλλην νομοθεσίαν τοῦ σχολάζειν ἕνεκεν τάξῃ καὶ τῆς εἰρήνης, μαρτυρεῖ τὰ γιγνόμενα τοῖς λόγοις,* quae in *Γ* et M^s codicibus mutilata verbis *ὅπως* usque ad *σπουδάζειν* per homoeoteleuton verborum *σπουδάζειν* et *σχολάζειν* ab archetypi librario omissis Guilelmus vertit: „quod autem oportet legislatorem magis studere gratia ordinis et pacis, testantur ea quae fiunt rationibus", mutavit igitur, ut verba recte sese exciperent, sua sponte *τάξῃ* in *τάξεως.* V, 6. 1305 a 41 *καθάπερ ἐν Νάξῳ Λύγδαμις ὃς καὶ ἐτυράννησεν ὕστερον τῶν Ναξίων* sunt in translatione: „sicut in Naxylo Lydamis, qui et posterius tyrannizavit super Naxylos", ubi prius Naxylo, quod mendum etiam in codice M^s exstat, Guilelmus ex graeco codice hausit per dittographiam duarum literularum sequentis vocis ortum, alterum Naxylos haud dubie conjiciendo ex priore illo restituit. VII, 12. 1331 a 27 exhibet codex M^s *ἀφωρίζει* pro *ἀφορίζει* ex vitio satis solemni, Guilelmus expressit „determinavit" id est *ἀφώριζε.* Cui geminum est exemplum quod legitur IV, 13. 1297 b 2 a Susemihlio mea

---

[1]) requiritur enim potius *ἢ ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ,* ut apparet ex iis quae praecedunt; tertia Susemihli conjectura *οὕτως* pro *τῶν αὐτῶν* vix digna est commemoratione. Felicius videtur Bernaysio cessisse conjicienti *τῶν ἔργων,* quamquam verum hoc esse quis ausit contendere?

opinione pessumdatum *τοῦ δὲ τιμήματος τὸ πλῆθος ἁπλῶς μὲν ὁρισαμένους οὐκ ἔστιν εἰπεῖν τοσοῦτον ὑπάρχειν ἀλλὰ σκεψαμένους τὸ ποῖον κτλ.*, in quibus *ὁρισαμένους* communi codicum P' et Π^2 auctoritate firmatur, codex M^s antem habet *ὡρισαμένου*, translatio: „honorabilitate antem secundum multitudinem simpliciter determinata sqq.“ i. e. *ὡρισμένου*. Sed ut taceam, quantum commendationis *ὁρισαμένους* accipiat a totius enuntiati conformatione[1]), quomodo ex *ὡρισμένου* fiat *ὡρισαμένου* mihi parum liquet, cum facile ut opinor perspiciatur, qua via ex *ὁρισαμένους* oriatur *ὁρισαμένου* idque corrigatur in *ὡρισμένου*. Eadem ratione alii duo loci ut spero invicem sibi fidem facient IV, 4 1291 a 8 *μὴ γὰρ ἓν τῶν ἀδυνάτων ᾖ πόλιν ἄξιον εἶναι καλεῖν τὴν φύσιν δούλην*: M^s praebet *ἢ* pro *ᾖ*, Guilelmus vertit: „nihil enim esse minus impossibilium quam dignum esse vocare civitatem natura servam“[2]) legit igitur *ἢ* atque ut haec vocula habeat quo referatur addit de suo „minus.“ Alter locus habetur I, 4. 1254 a 13 *τίς μὲν οὖν ἡ φύσις τοῦ δούλου καὶ τίς ἡ δύναμις ἐκ τούτων δῆλον· ὁ γὰρ μὴ αὑτοῦ φύσει ἀλλ' ἄλλου ἄνθρωπος ὤν, οὗτος φύσει δοῦλός ἐστιν, ἄλλου δ' ἐστὶν ἄνθρωπος, ὃς ἂν κτῆμα ᾖ [δοῦλός ἐστιν], κτῆμα δὲ ὄργανον πρακτικὸν καὶ χωριστόν*: sic enim haec verba in Susemihli editione leguntur codicibus mirum in modum discrepantibus. Sed hoc sat certo confirmari potest, in verbis *ὃς ἂν κτῆμα ᾖ [δοῦλός ἐστιν]* verbum *ἐστίν* omni auctoritate carere, nam cum codex M^s *ἢ δοῦλος ὢν* pro *ᾖ δοῦλος ὢν* praebeat, dubium non est quin Guilelmo vertente „quicunque res possessa aut servus est“, illud *ἐστί* merae interpretis conjecturae debeatur. Hoc puto majoris momenti esse, quam forte primo obtutu videatur; nam *δοῦλός ἐστι* facile nobis persuademus ex superioris versus *δοῦλός ἐστι* per dittographiam esse ortum, *δοῦλος ὢν* quo modo fortuito irre-

[1]) cf. poet. 1451 a 9: *ὁ δὲ κατ' αὐτὴν τὴν φύσιν τοῦ πράγματος ὅρος, ἀεὶ μὲν ὁ μείζων μέχρι τοῦ σύνδηλος εἶναι καλλίων ἐστὶ κατὰ τὸ μέγεθος, ὡς δὲ ἁπλῶς, διορίσαντας εἰπεῖν, ἐν ὅσῳ μεγέθει κτλ.*

[2]) Occasione oblata liceat mihi cuiusdam transferendi usus Guilelmo adamati mentionem facere, quem non satis perspectum Susemihlio fraudi fuisse video. „Namque eadem ratione, qua hoc loco Guilelmus *μὴ — ἓν* per nihil, etiam *μὴ — ποτὲ* per nusquam, *οὐδ' ἂν εἷς* per nullus utique reddit. Itaque II, 9 1370 a 33 quamquam Guilelmus vertit „nullam enim plagam pertulit civitas,“ in codice *Γ* quoque *μία γὰρ πληγὴν οὐχ ὑπήνεγκεν ἡ πόλις* exstitisse certissimum est neque in hac scriptura quidquam video, quod tantopere displiceat, ut ad conjecturam confugiamus.

pere potuerit, mihi non liquet, nisi forte quis de correctione formae *ἐστι* cogitat. Itaque quoniam *δοῦλος ὢν* hoc loco omni sensu destitutum est, non de interpretamento nec de dittographia licet suspicari, sed sine dubio corruptionem tenemus, quae non video qua ratione melius eluatur, quam si antiquam illam scripturam cum multis codicibus deterioris nominis servatam tum codicum P' et P^2 marginibus adscriptam recipiamus *ἄνθρωπος ὤν*. Neque difficile est menti sibi informare, qua ratione ex compendiaria vocis *ἄνθρωπος* scriptura *ἄνος* potuerit *δοῦλος* exoriri. Leviores paucas conjecturas, quibus interpretem codicis sui menda perperam sanasse puto, satis habeo tetigisse: VIII, 6. 1341 a 31 pro *ἥπτοντο* legitur in codice M^s *ἥποντο* in translatione „sequebantur“ (*εἵποντο*), haud dubie cod. *Γ* quoque *ἥποντο* exhibuit. In eodem capite 1341 a 21 in codice M^s *ὁ αὐλὸς* depravatum est in *ὁ αὐτός*, Guilelmus vertit „adhuc autem non est id ipsum morale.“ III, 13. 1284 a 16 *δημογορούντων*. cod. M^s: *δημιγοργουντων* Guilelmus „condentibus“ i. e. *δημιουργούντων*, VIII, 1. 1337 a 27 *ἅμα δὲ οὐδὲ χρὴ νομίζειν αὐτὸν αὑτοῦ τινα εἶναι τῶν πολιτῶν*. *αὐτὸν* est in codice M^s compendiose scriptum *αὖ*, ut huius codicis librarius solet, ubicunque archetypi compendium non percepit, Guilelmus correxit *αὐτῶν* vertens: „simul autem neque oportet putare civium ipsorum aliquem sibi esse.“ II, 5. 1263 a 1 *λέγω δὲ τὰ περὶ τὴν κτῆσιν πότερον κἂν ᾖ ἐκεῖνα χωρίς* (sc. *τὰ περὶ τὰ τέκνα καὶ τὰς γυναῖκας νενομοθετημένα*) *καθ' ὃν νῦν τρόπον ἔχει πᾶσι, τάς τε κτήσεις*[1]) *κτλ.* pro *πᾶσι* codex M^s exhibet *πασῶν*, Guilelmus „omnes“ (*πάσας*), quod Susemihlius mihi videtur non suo jure recepisse, nam *πᾶσι* neque quidquam praebet offensionis et commode opponitur iis quae sequuntur: *ὅπερ ἔνια ποιεῖ τῶν ἐθνῶν* et *λέγονται δέ τινες καὶ τοῦτον τὸν τρόπον κοινωνεῖν τῶν βαρβάρων.*

Horum exemplorum, quae si quis curiosius rem persequi voluerit, facili opera multis augere poterit, ratio ac vis in eo posita est, quod certis firmisque argumentis demonstratur, Guilelmum scripturis casu corruptis ac sensu destitutis sui ingenii sagacitate confisum studuisse salutem ferre, atque facile dispicitur,

[1]) hoc enuntiatum a Spengelio ingeniose in genuinam formam redactum videtur, nisi quod variis ex rationibus magis placet, defectum verborum post *τὰς χρήσεις* statuere, ut scribatur: *καθ' ὃν νῦν ἔχει τρόπον πᾶσι τάς τε κτήσεις κοινὰς εἶναι βέλτιον καὶ τὰς χρήσεις ⟨ἢ τὰς κτήσεις μόνον ἢ τὰς χρήσεις⟩ οἷον τὰ μέν κτλ.*

cum ubicunque menda ad archetypon aut totius familiae aut codicum *M*^s et *Γ* redeant, res omni dubitationi exempta sit, omnibus nos adminiculis ad originem discrepantiae cum probabilitate extricandam carere, ubi sive librario codicis *Γ* mendum debeatur sive Guilelmus graecis verbis non perspicue intellectis conjecturae fortunam tentaverit. Itaque ne in hoc genere satis dubioso ac lubrico tractando ad hariolationes deducamur commodum est, huius modi mendorum origines non nimis ambitiose nos indagare sed nixos usu ac consuetudine sermonis translationis scripturas a codicum nostrorum memoria discrepantes diligenter examinare maximeque eas, quae cum aliquam veritatis speciem prae se ferant, viros doctos in fraudem vocarint.

Neque igitur cum Susemihlio faciam I, 9. 1257 a 3 secundum translationem sic scribente: *ἔστι δ᾽ οὔτε ἡ αὐτὴ τῇ εἰρημένῃ οὔτε πόρρω κειμένη* pro *πόρρω ἐκείνης* codicum. Nam cum *ἐκείνης* propter antecedens *τῇ εἰρημένῃ*, quod ad idem redit, offensioni esse non concedet, quicunque expertum habuerit, pronomen *ἐκεῖνος* ab Aristotele etiam ad proximas voces trahi, ut polit. V, 6. 1306 a 10 *σημεῖον δὲ ἡ ἐν Φαρσάλῳ πολιτεία. ἐκεῖνοι γὰρ ὄντες κτλ.* meteorl. II, 6. 364 a 10 *ὅτι πολλῷ πλεῖον ὕδωρ καὶ χιὼν ἀποθεῖται εἰς τοῦτο τὸ μέρος διὰ τὸ ἐκεῖνο ὑπὸ τὸν ἥλιον εἶναι καὶ τὰς ἐκείνου φοράς*, tum *κειμένη* nimis olet correctorem Latinum atque ab Aristotelis consuetudine videtur abhorrere, quam nos docent haec exempla: polit. I, 13. 1260 a 40 *ὁ μὲν γὰρ δοῦλος κοινωνὸς ζωῆς, ὁ δὲ* (sc. *τεχνίτης*) *πορρώτερον*. VII, 6. 1327 a 34: *ὥστε μήτε τὸ αὐτὸ νέμειν ἄστυ μήτε πόρρω λίαν*. IV, 8. 1294 a 29 *καὶ ὅτι οὐ πόρρω αὗται ἀλλήλων, φανερόν*. hist. anim. I, 13. 368 a 10 *οὔτε ταὐτὸ σαρκὶ οὔτε πόρρω σαρκός*.

II, I. 1270 b 15 *καὶ διὰ τὸ τὴν ἀρχὴν εἶναι λίαν μεγάλην καὶ ἰσοτύραννον δημαγωγεῖν αὐτοὺς* (sc. *τοὺς ἐφόρους*) *ἠναγκάζοντο καὶ οἱ βασιλεῖς* vertit Guilelmus: „et propter principatum esse valde magnum et aequityrannum regere populum se ipsos cogebant reges“ quae amplexus Susemihlius scripsit: *δημαγωγεῖν αὐτοὺς ἠνάγκαζον βασιλεῖς*. Sed primum puto animadvertendum esse, scripturam codicum consensu proditam et a sensu omni offensione carere, quia quae Onckenius objecit haec verba pugnare cum posterioribus *δημοκρατία γὰρ ἐξ ἀριστοκρατίας συνέβαινεν*, si quidem eo quod reges cogantur ephoros adulari non continno aristocratia in democratiam vertatur, satis videntur dilui ipso Aristotele in auxilium vocato, quippe qui II, 6. 1265 a 38 dicat *δημο-*

κρατεῖσθαι δὲ (sc. *τὴν τῶν Λακεδαιμονίων πολιτείαν*) *κατὰ τῶν ἐφόρων ἀρχὴν διὰ τὸ ἐκ δήμου εἶναι τοὺς ἐφόρους*, et a forma videri iis quae Susemihlius posuit aliquantum praestare, quod si scribamus *οἱ ἔφοροι ἠνάγκαζον τοὺς βασιλεῖς* potius expeti puto *διὰ τὸ τὴν ἀρχὴν ἔχειν λίαν μεγάλην* quam *διὰ τὸ τὴν ἀρχὴν εἶναι*. Sed haec accurate persequi ne opus quidem est, quia persuasum habeo, etiam codicem *Γ* a nostris non discrepasse nisi quod vitio in omnibus libris frequentissimo *αὑτοὺς* pro *αὐτούς* praeberet. Nam statuentibus nobis sicut decet in verbis translationis „regere populum se ipsos cogebant reges“ sensum quamvis pravum latere, apparet „regere populum se ipsos“ pendere a verbis „cogebant reges“, atque Guilelmum non inepte verba codicis ita expressisse, ut structuram passivam *ἠναγκάζοντο καὶ οἱ βασιλεῖς* in activam verteret. Hanc autem rationem genera verborum mutandi valde fuisse Guilelmo adamatam, plurimis constat exemplis, quorum quamquam bonam partem Susemihlius ita pessumdedit, ut e. g. II, 5. 1264 a 14 (83,4) misceri (*μίξαι*) mutaret in miscere aut II, 9. 1271 a 22 (127,1) judicare (*κρίνεσθαι*) in judicari facili sane opera converteret, multa tamen relicua esse gaudeo, quae conjecturarum conaminibus fortius resistant. Itaque legimus VI, 7. 1321 a 33 *δεῖ προσκεῖσθαι λειτουργίας*: „opus est apponere oblationes“ VI, 8. 1321 b 4 *τὸ διῃρῆσθαι καλῶς τὰ περὶ τὰς ἀρχάς*: „dividere bene quae circa magistratus.“ Eademque ratione translatum est II, 7. 1266 b 21 (*ὥσπερ ἐν Λόκροις νόμος ἐστὶ μὴ πωλεῖν*), *εἰ μὴ φανερὰν εὐτυχίαν δείξῃ συμβεβηκυῖαν* per: „nisi manifestum infortunium ostendatur accidisse“ II, 8. 1268 a 3 *ἀλλὰ φέρειν ἕκαστον πινάκιον ἐν ᾧ γράφειν* per: „sed ferre unumquemque pugillarem, in quo scribatur“ II, 3. 1262 a 4 *ἄδηλον γὰρ ᾧ συνέβη γενέσθαι τέκνον* per „immanifestum enim, cui accidit genuisse filium.“ Maxime autem hic usus transferendi ex infinitivis conspicitur in *εναι* desinentibus, ubi nescio an merus interpretis error statuendus sit, velut IV, 4. 1290 a 30 *οὐ δεῖ τιθέναι τὴν δημοκρατίαν*: „non oportet poni democratiam“ V, 7. 1307 a 12 *ταῦτα γὰρ αἱ πολιτεῖαι πειρῶνται μιγνύναι*: „haec enim politiae tentant misceri“, alia id genus. Quare non dubito quin neque IV, 14. 1298 b 12 *καὶ διοικεῖ ἑκάστη πολιτεία κατὰ τὸν εἰρημένον διορισμόν* Guilelmo vertenti: „et disponitur quaelibet politia secundum dictum modum“ quidquam auctoritatis tribuendum sit, cum mihil esse videatur quod in *διοικεῖται* ad *πολιτεία* relato offendamus et IV, 4. 1292 a 34 *ἐν ᾗ ψηφίσμασι πάντα διοικεῖται* originem translationis „in

qua sententiae omnia dispensant" veram ita assequamur, ut vitio solemni statuamus *ψηφίσμασι* formam ad continuam vocem *πάντα* accommodatam transiisse in *ψηφίσματα* atque emendatione interpretis *διοικεῖται* mutatum esse in *διοικεῖ*[1]). Neque V, 8. 1308 a 31. *ἔτι τὰς τῶν γνωρίμων φιλονεικίας καὶ στάσεις καὶ διὰ τῶν νόμων πειρᾶσθαι δεῖ φυλάττειν, καὶ τοὺς ἔξω τῆς φιλονεικίας ὄντας πρὶν παρειληφέναι καὶ αὐτοὺς* (codd. deteriores *περιληφθῆναι*) in translatione quidquam est impedimenti, quominus Vahleno[2]) *παρειληφέναι* tutanti adsentiamur. Sed haec in excursu. Meo autem jure prolixius aliquanto de hoc loco mihi videor egisse, ut appareat, qua via potuerint ex pusillis codicis *Γ* mendis in translatione discrepantiae oriri gravissimae atque magis nobis persuadeatur, etiam iis locis, quibus translationis scripturae aliqua veritatis specie sese commendare videantur, illius auctoritatem libris superstitibus longe cedere. Hoc ex genere est II, 9. 1271 a 20 (*περὶ δὲ βασιλείας εἰ μὲν βέλτιόν ἐστιν ὑπάρχειν ταῖς πόλεσιν ἢ μὴ βέλτιον ἄλλος ἔστω λόγος*) *ἀλλὰ μὴν βέλτιόν γε μὴ καθάπερ νῦν ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτοῦ βίον ἕκαστον κρίνεσθαι τῶν βασιλέων,* quae cum Guilelmus reddat: „sed etsi melius non sicut nunc sed per ipsius vitam unumquemque judicare regem" Susemihlius exemplo Schneideri *ἀλλὰ μὴν εἰ καὶ βέλτιον* recepit et post *βέλτιον* defectum statuit, quem resarciendum proposuit ipse addito *δεῖ* sive *βέλτιον*, Schmidtius *συνοίσει*. Sed miror viris illis doctis non suspicionem movisse, quod Guilelmus *ἀλλὰ μὴν* hoc loco reddat per nudam particulam „sed", cum ceteris locis quod sciam omnibus pro *ἀλλὰ μὴν* scribere consueverit „at vero", „sed" pro *ἀλλά*[3]). Itaque facile puto eum fidem inventurum, qui suspicetur particulam *μὴν* in codice *Γ* corruptam fuisse, cui ut medelam adhiberet correctorem quendam conjecisse *κἄν*.

VII, 3. 1325 b 22 *μάλιστα δὲ πράττειν λέγομεν κυρίως καὶ τῶν ἐξωτερικῶν πράξεων τοὺς ταῖς διανοίαις ἀρχιτέκτονας*: „maxime

[1]) id quod fortasse memoria codicis P^1 firmatur, qui literulas *σι* in rasura praebet.

[2]) Zur Kritik aristot. Schriften p. 20. Beitraege zu Aristot. Poetik p. 43 n. 1; in praepositionibus autem vertendis translationi nullam esse fidem, quaelibet pagina docet.

[3]) vide, ut panca ex multis eligam II, 3. 1261 b 16, 25. III, 3. 1276 b 18. III, 16. 1287 a 22, 23, 41. Quod I, 8 1256 a 19 *ἀλλὰ μὴν* translatum est per „insuper" plus valet ad firmandam hanc sententiam quam ad labefactandum.

autem agere dicimus et dominos extrinsecarum actionum architectonas intellectibus" quae cum Guilelmus haud dubie ita intellegi voluerit, ut dominos extrinsecarum actionum sensu cohaererent, conjiciendum est, in codice *Γ* ex levisculo errore *κυρίους* exaratum fuisse, unde *ἐξωτερικῶν πράξεων* pendere opinatum Guilelmum *κυρίους καὶ* transposuisse; quam licentiam in II, 8. 1267 b 37 quoque deprehendimus, ubi Guilelmus *ᾤετο δ' εἴδη καὶ τῶν νόμων εἶναι τρία μόνον* vertit „putavit autem et species legum esse tres solum." Hanc autem collocationem quam Susemihlius nimis fovet cum adnotat „recte nisi fallor" prorsus nullam habere probabilitatem inde apparet quod commodissime *νόμων* praecedentibus v. 34 *διῄρει δ' εἰς τρία μέρη τὴν χώραν κτλ* oppositum hoc loco acuitur.

Ambiguum autem est codicis librario an Guilelmo mendum debeatur VII, 11. 1330 b 5 *εἰ δὲ μὴ τοῦτό γε εὕρηται διὰ τὸ κατασκευάζειν ὑποδοχὰς ὀμβρίοις ὕδασιν*[1]) *ἀφθόνους καὶ μεγάλους, ὥστε μηδέποτε ὑπολείπειν εἰργημένους τῆς χώρας διὰ πόλεμον.* Guilelmus enim vertens „ut nusquam deficiant prohibiti a regione propter multitudinem", fortasse legit *διὰ πλῆθος,* fortasse hoc conjectura assecutus est. Quam scripturam Susemihlius recte aspernatus incautius se gessit I, 13. 1260 b 19 *ἐκ δὲ τῶν παίδων οἱ κοινωνοὶ γιγνόνται τῆς πολιτείας* cum ex translatione „ex pueris autem dispensatores fiunt politiae" pro *οἱ κοινωνοί* reposuit *οἱ κονόμοι*. Nam cum *οἰκονόμοι* non satis apte hoc loco dicitur, quia admodum pauci liberi fiunt gubernatores rei publicae, tum *οἱ κοινωνοί* ipsa quam statuit Aristoteles notione civis et rei

[1]) quod Susemihlius ex translatione „per praeparationem susceptaculorum aquarum imbrium" concludit, Guilelmum in codice invenisse *ὑδάτων ὄμβρων,* nihil agit, nam aquarum imbrium genetivus est nominativi aquae imbrium et genetivum aquarum pro *ὕδασι* Guilelmus posuit eadem usus libertate qua II, 8. 1269 a 16 *φανερὸν ὡς ἐατέον ἐνίας ἁμαρτίας καὶ τῶν νομοθετῶν καὶ τῶν ἀρχόντων* transtulit „manifestum quod sinendum quaedam peccata et legislatoribus et principibus" et II, 9 1271 a 31 *ὥστε συμβαίνει τοὐναντίων τῷ νομοθέτῃ τῆς προαιρέσεως*: „quare accidit contrarium legislatori voluntati"; (sic enim recte cod. a exhibet legislatori, omnes codd. et libri voluntati.) Cur dativus *ὀμβρίοις ὕδασι* Susemihlio tantopere displiceat ut *ὀμβρίου ὕδατος* vel *ὀμβρίων ὑδάτων* conjiciat, non assequor, quoniam hic dativi usus multis scriptorum Graecorum exemplis confirmatur velut Thuc. VI, 18,25 *καὶ μὴ ὑμᾶς ἡ Νικίου τῶν λόγων ἀπραγμοσύνη καὶ διάστασις τοῖς νέοις εἰς τοὺς πρεσβυτέρους ἀποστρέψῃ* (vel *ἀποτρέψῃ*). Eur Phoen. 86: *ὦ κλεινὸν οἴκοις Ἀντιγόνη θάλος πατρί*; quem ad usum etiam redit Soph Ant. 857, ubi audacius aliquanto: *ἔψαυσας . . . τοῦ τε πρόπαντος ἁμετέρου πότμου κλεινοῖς Λαβδακίδαισιν,* quem ad locum vide Brunckium.

publicae commendatur,[1]) neque sane difficile est sibi informare qua ratione *οἱ κοινωνοί* transierit in *οἰκονόμοι*. Nec non Susemihlio mendum fraudi fuit, quod tribus locis verbum *ἀπολαύειν* occupavit Etenim VII, 16. 1335 b 18 leguntur: *ἀπολαύοντα γὰρ φαίνεται τὰ γεννώμενα τῆς ἐχούσης ὥσπερ καὶ τὰ φυόμενα τῆς γῆς*, ubi pro *ἀπολαύοντα* cod. M^s vitio apertissimo habet *ἀπαλάβοντα*, Guilelmus vertit „absumentia" quod ad *ἀπολαβόντα* redire sat certo concludi potest, quia alias *ἀπολαύειν* per frui transfertur. Neque minus hoc vitium in propatulo est V, 4. 1303 b 31 *ὅλως δὲ αἱ τῶν γνωρίμων στάσεις συναπολαύειν ποιοῦσι καὶ τὴν ὅλην πόλιν*, quae cum Guilelmus exprimat: „totaliter autem insignium dissensiones coassumere faciunt et totam civitatem" haud dubie legit *συναπολαβεῖν*. Quibus locis Susemihlius suo jure translationis scripturas repudiavit. Tertio autem loco VII, 17. 1336 b 2 scripsit *εὔλογον οὖν ἀπολαβεῖν ἀπὸ τῶν ἀκουσμάτων καὶ ὁραμάτων ἀνελευθερίαν καὶ τηλικούτους ὄντας* secundum translationem „rationabile igitur absumere illiberalitatem ab auditis et visis et tantillos existentes" quamquam codd. M^s P^1 *ἀπολαύειν*, codd. Π^2 *ἀπελαύνειν* exhibent. Sed *ἀπολαύειν* hoc loco rectissime se habet, cuius verbi constructionem docent Plat. Apol. 31 b *καὶ εἰ μέντοι τι ὑπὸ τούτων ἀπέλαυον* et Pol. X, 606 b *λογίζεσθαι γὰρ οἶμαι ὀλίγοις τισί μέτεστιν, ὅτι ἀπολαύειν ἀνάγκη ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων εἰς τὰ οἰκεῖα*, in malam autem partem id posse usurpari, luculenter apparet ex Isocr. 8,81 *δέδοικα μὴ ἀπολαύσω τι φλαῦρον*. Itaque me judice *ἀπολαύειν* genuina est scriptura, unde *ἀπολαβεῖν* et *ἀπελαύνειν* ortum esse censeo.

V.

Sed discedamus ab hoc loco lubrico atque incerto et perlustremus nunc si videtur eas translationis discrepantias, quas etsi non tam liquido contendi potest, ut extra omnem dubitationem positum sit, simillimum tamen veri videtur nullo codicis Γ mendo supposito soli interpretis ingenio deberi. Hoc autem genus et in permutandis vocibus et in addendis omittendisque conspicitur neque ad ipsam rem multum refert, casu an consilio singulos locos esse depravatos statuas. Itaque ut a rebus minutis incipiamus Susemihlius quamquam

[1]) cf. inprimis II, 1. 1260 b 39 qqs., ubi commemoratione dignum est, in verbis *ὁ μὲν γὰρ τόπος εἷς ὁ τῆς μιᾶς πόλεως* una translatione *εἷς ὁ τῆς* proditum esse.

in prolegomenis[1]) editionis recte animadvertit, in parvulis vocibus Guilelmum liberiore quadam ratione usum esse, praepositiones adjecisse, particulas minores velut *τε, γε, περ* modo expressisse modo silentio transiisse, neque in constituendis textus verbis tam sibi constans erat, ut ubique harum rerum auctoritatem translationi derogaret[2]), et ipsam illam libertatem finibus multo arctioribus circumscripsit. Neque enim solum *τε, γε, περ* particulas Guilelmus praeterit sed etiam *δε, μεν, οὔτε, γαρ* atque inprimis *και* qua in omittenda Susemihlius translationis auctoritati nimis prolixe cessit: velut ut multa exempla praetermittam, III, 11. 1282 b 8 *ἀλλὰ γὰρ κἂν ὁμοίως ταῖς πολιτείαις ἀνάγκη καὶ τοὺς νόμους κτλ.* *καὶ* memoria codicum P^1 M^s, qui ipsum *κἂν* praebent et alterius familiae *καὶ* exhibentis fulcitur neque dubitari potest, quin hoc loco *καὶ* aptissimam teneat sedem.[3]) Nec I, 9. 1257 a 23 *καθάπερ ἔτι πολλὰ ποιεῖ καὶ τῶν βαρβαρικῶν ἐθνῶν* cum Susemihlio *καὶ* ejiciam, quamquam quod Schmidtius conjecit *καὶ ⟨νῦν⟩* propter praecedens *ἔτι* non placet sed videtur *καὶ* transponendum esse.

Sed multo major vis ad labefactandam translationis fidem in eo posita est, quod Guilelmus particulas nonnullis locis addidit, saepissime ad libidinem mutavit. Ac cum ambiguum sit IV, 7. 1293 b 2 *περὶ ἧς διέλθομεν ἐν τοῖς πρώτοις λόγοις*: „de qua pertractavimus quidem in primis sermonibus", ubi fortasse *μὲν* per dittographiam syllabae ultimae praecedentis vocis ortum est, non dubito, quin IV, 1. 1288 b 35 *ὡς οἱ πλεῖστοι τῶν ἀποφαινομένων περὶ πολιτείας, καὶ εἰ τἄλλα λέγουσι καλῶς, τῶν γε χρησίμων διαμαρτάνουσι* „quo modo plurimi pronunciantium de politia, et si alia dicant bene, tamen in opportunis peccant", illud „tamen" ab ipso Guilelmo profectum sit atque injuria a Susemihlio receptum. Neque assequor qua de causa Susemihlius, qui II, 5. 1263 b 2 *τὸ δὲ φίλαυτον εἶναι ψέγεται δικαίως*: „philauton autem esse vituperatur et juste" II, 5. 1264 a 9 *ὥστε οὐδὲν ἄλλο συμβήσεται*: „itaque et nihil aliud accidet" suo jure particulam *καὶ*

[1]) cf. p. XXXII.

[2]) quippe qui etiam articulum secundum translationem notet V, 6. 1305 b 2 *ὅτι μὲν γὰρ ἐξ αὐτῶν τῶν εὐπόρων οὐ [τῶν] ὄντων δ' ἐν ταῖς ἀρχαῖς*, quamquam in nexu verborum nulla videtur esse necessitas. sed vide nunc ed. min. p. 714 n. 1.

[3]) turbatum huius enuntiati ordinem adjuvit Rassowius (Bemerkungen über einige Stellen des Aristoteles Politik, Weimar 1864 p. 12) nisi quod codicum P^1 et M^s scripturam *κἂν* servandam esse censeo.

repudiavit, contra omnium codicum superstitum consensum ex translatione illam particulam receperit IV, 4. 1292 a 17 (*ὁ δῆμος*) *γίγνεται δεσποτικός, ὥστε οἱ κόλακες ἔντιμοι*: „(populus) fit despoticus, quare et adulatores honorati“ et post *καθάπερ* VII, 16. 1335 b 30 *τὰ γὰρ τῶν πρεσβυτέρων ἔκγονα καθάπερ τὰ τῶν νεωτέρων ἀτελῆ γίγνεται*: „seniorum autem fetus sicut et juniorum imperfecti fiunt“, quibus locis *καὶ* necessario requiri aegre concedamus. Admodum multus autem Guilelmus est in delendo asyndeto velut IV, 4. 1291 b 23 *οἷον ἁλιεῖς μὲν ἐν Τάραντι καὶ Βυζαντίῳ, τριηρικὸν δὲ Ἀθήνησιν, ἐμπορικὸν δὲ ἐν Αἰγίνῃ καὶ Χίῳ, πορθμικὸν ἐν Τενέδῳ*. . . . „negotiativum autem in Aigina et Chio, transvectivum autem in Tenedo.“ II, 3. 1262 a 12 *πρὸς δὲ τούτοις ἕτερον φράτορα φυλέτην*: „ad haec autem fratruelem aut contribulem“ III, 4. 1277 b 8 *ταύτην γὰρ εἶναι τὴν πολιτικὴν ἀρχήν, ἣν δεῖ τὸν ἄρχοντα ἀρχόμενον μαθεῖν, οἷον ἱππαρχεῖν ἱππαρχηθέντα, στρατηγεῖν στρατηγηθέντα καὶ ταξιαρχήσαντα καὶ λοχαγήσαντα*: „. . . velut equestribus principari eum, qui inter illos subditus fuit et exercitum ducere in exercitu ductum et qui ordini praefuit et insidias disposuit“, cuius ad similitudinem locus prope accedit, quem a Guilelmo non turbatum nostrae demum aetatis viri docti mea opinione corruperunt VIII, 7. 1341 b 40 *τρίτον δὲ πρὸς διαγωγήν, πρός ἄνεσίν τε καὶ πρὸς τὴν τῆς συντονίας ἀνάπαυσιν*, quae verba quot conjeturis sollicitata sint, longum est enumerare.[1])

Quibus quidem locis non dubito, quin asyndeton nobis servandum sit, quod quantopere fuerit Aristoteli adamatum simulque quoties inscitia sit deletum Vahlenus docuit adnotatione ad poeticae verba *οἷον κατ' ἐρώτησιν ἐπίταξιν* adjecta (cf. p. 181). In mutandis denique particulis Guilelmus tantam libertatem praestat, ut vitiosissimae aut levitatis aut neglegentiae nequeamus eum non arguere. Nam ut ex innumeris pauca eligam, I, 2. 1252 a 24 *δὴ* expressit per „enim,“ ceteris locis aut per „igitur“ aut per „utique“ I, 8. 1256 a 31 *οὖν* per „enim“, ut saepius, III, 7 1279 b 6 *γὰρ* per „igitur“, VII, 6. 1327 a 28 per „autem“, ut saepissime, permultis denique locis *δὲ* per „enim“; quae cum aegre cuiquam fraudi sint rectius putavimus leviter tantum nos tangere quam infructuosa diligentia singula pertractare, praesertim cum satis amplus nobis ad permetiendum campus relinquatur.

Ad graviores igitur correctiones digredientibus nobis id notabile sane sed ut opinor ab universa translationis indole non

[1]) vide excursum II.

alienum est, quod cum Guilelmus plurimos locos verbis ex conjectura additis deformaverit, nullum fere verbum occurrit, quod suo ille periculo in transferendo omisisse videatur. Nam ubicunque in translatione defectum deprehendinus, res ita comparata est, ut cum ratio vocis omittendae nullo modo compareat majore cum probabilitate statuatur, aut librarium codicis oscitantia deliquisse aut ipsum Guilelmum rem suam egisse paullo neglegentius. Quae quidem menda vix commemoratione digna essent, nisi Susemihlius etiam hoc loco nimius fuisset in fovenda translatione. Recte enim Dittenbergerus monet II, 1. 1261 a 2 *πάντων βέλτιον κοινωνεῖν τὴν μέλλουσαν οἰκήσεσθαι πόλιν καλῶς*: „melius est communicare futuram habitare civitatem bene“ *πάντων* servandum esse neque est, cur VII, 3. 1325 b 3 *ἀλλ' ὑποτίθενται τοῦτο ψεῦδος* secundum translationem *ψεῦδος* ejiciamus aut Casauboni exemplo mutemus in *ψευδῶς*.[1]) Ac ne II, 6. 1264 b 39 quidem *τὰ δ'ἄλλα τοῖς ἔξωθεν λόγοις πεπλήρωκε τὸν λόγον* Susemihlio concedam recte *τὸν λόγον* expelli ideo quod Guilelmus habeat: „alia autem exterioribus replevit sermonibus“; praesertim cum non sine probabilitate quis suspicetur, etiam Guilelmum non legisse nisi quae codicibus P^1 M^s prodita sint: *τοῖς ἔξωθεν πεπλήρωκε τὸν λόγον* et propter praecedens *τὰ ἄλλα* sua sponte *τὸν λόγον* transformasse.[2])

Haec igitur cum ita se habeant, ut facile res ac veritas perspiciatur, multo dificilior atque impeditior est quaestio de additamentis translationis, quorum vel numerus correctoris cuiusdam vanum ingenium nos docet. At quamquam non infitias eo, quaedam ex glossis esse profecta, magnam partem ipsi interpreti deberi, argumentum certum firmumque inde repetitur, quod non nulla exstant, quae ex verbis graecis originem duxerint sive casu corruptis sive perperam intellectis ut II, 9. 1269 a 40 (*αἴτιον δ'ἴσως τὸ τὰς γειτνιώσας πόλεις, καίπερ πολεμούσας ἀλλήλαις μηδεμίαν εἶναι σύμμαχον τοῖς ἀφισταμένοις*) *διὰ τό μὴ συμφέρειν καὶ αὐταῖς κεκτημεναις περιοίκους*; „propter non expedire etiam ipsis possi-

[1]) vide polit. II, 8. 1269 a 19: *ψεῦδος δὲ καὶ τὸ παράδειγμα τὸ περὶ τῶν τεχνῶν*, poet. 24. 1460 a 29 *τοῦτο δέ ἐστι ψεῦδος*.

[2]) Quare non sine aliqua veritatis specie Benderus (Kritische und exegetische Bemerkungen zu Aristoteles Politik Hersfeld 1876) proposuit *λόγοις* quod una nititur memoria vulgatae recensionis exturbandum, cui ideo non adsentiar, quia et saepius occurrunt in codd. Π^1 voculae librarii neglegentia omissae et facile hic poterat *λόγοις* excidere.

dentibus praedia circa domus", ubi cum in codice M^s exaratum legamus *περὶ οἴκους* dubium non est, quin ipse Guilelmus ut sensum adjuvaret addiderit praedia. I, 5. 1254 b 19 *οὗτοι μέν εἰσι φύσει δοῦλοι, οἷς βέλτιόν ἐστιν ἄρχεσθαι ταύτην τὴν ἀρχὴν εἴπερ καὶ τοῖς εἰρημένοις,* ubi quae Guilelmus expressit „si quidem et dictis creditur" non concesserim ex glossa graeca esse profecta. Primo autem obtutu Guilelmi ingenium cognoscitur I, 9. 1257 a 4 *ὥστ' ἐπεὶ καὶ τοῦτ' ἐν τῇ κτήσει φαίνεται ὑπάρχειν, πᾶσα ἡ διατριβὴ περὶ τὸν χρηματισμόν ἐστιν*: „itaque quoniam et hoc in possessione videtur existere omnis eorum cura circa acquisitionem est," cum pronomen *αὐτός* ille soleat transferre per „ipse".[1]) Sed hoc minorem habet vim, gravius est exemplum atque appositum ad rationem interpretis illustrandam V, 7. 1307 a 38 *διὸ καὶ ἡ τῶν Λόκρων πόλις ἀπώλετο ἐκ τῆς πρὸς Διόνυσον κηδείας*: „propter quod et Locrorum civitas periit ex ea quae ad Dionysum cura singulari", quo loco voce *κηδεία* perperam intellecta ad sensum recuperandum additum est „singulari" et VII, 16. 1335 a 30 *ἐν τοσούτῳ γὰρ ἀκμάζουσί τε τοῖς σώμασι σύζευξις ἔσται*: „in tanto enim tempore perfectis corporibus conjugatio erit." Quare equidem et VI, 2. 1317 b 23 *τὸ μὴ δὶς τὸν αὐτὸν ἔχειν μηδεμίαν*: „non bis eundem principari nullo principatu" *ἀρχὴν* post *μηδεμίαν* quod facile ex prioribus auditur, sine haesitatione aspernor et IV, 11. 1295 b 30 *οὔτε γὰρ αὐτοὶ τῶν ἀλλοτρίων ὥσπερ οἱ πένητες ἐπιθυμοῦσιν, οὔτε τῆς τούτων ἕτεροι καθάπερ οἱ πένητες τῆς τῶν πλουσίων ἐπιθυμοῦσιν*: „neque enim ipsi aliena desideraut sicut pauperes neque substantiam horum alteri" qqs. recepta ex translatione voce *οὐσία* nos ipsum puto Aristotelem corrigire quem incredibili quadam licentia in omittendis verbis usum esse docent Bonitzius in indice s. v. ellipsis et Vahlenus ad art. poet. p. 137.[2])

[1]) Idem conjecturae indicium occurrit VII, 1. 1323 b 8 *τὰ μὲν γὰρ ἐκτὸς ἔχει πέρας ὥσπερ ὄργανόν τι, πᾶν δὲ τὸ χρήσιμον ἔς τι* (sic Vahlenus l. l. conjectura ut opinor ingeniosissima pro *ἐστίν*), *ὧν τὴν ὑπερβολὴν ἢ βλάπτειν ἀναγκαῖον ἢ μηδὲν ὄφελος εἶναι αὐτῶν τοῖς ἔχουσιν*: „. . . omne autem quod utile est eorum excessum aut nocere necessarium aut nihil proficuum esse habentibus", ubi vel pronomen eorum Susemihlio poterat esse documento, discrepantiam translationis uni Guilelmo deberi.

[2]) Ne II, 10 1272 b 18 quidem *ἔστι δὲ ἐπικίνδυνος οὕτως ἔχουσα πόλις τῶν βουλομένων ἐπιτίθεσθαι καὶ δυναμένων* Susemihlio assentior ex translatione *λίαν* elicienti, ut pote quod Guilelmum ad exaggerandam senteutiae vim addidisse facile nobis persuadeamus. In emendandis autem vel explicandis his verbis neque Susemihlio res feliciter cessit ex *λίαν* conjicienti *λεία γίγνεσθαι*

Eademque ratio cadit in II, 3. 1362 a 1 *ἔτι οὕτως ἕκαστος ἐμὸς λέγει τὸν εὖ πράττοντα τῶν πολιτῶν ἢ κακῶς ὁπόστος τυγχάνει τὸν ἀριθμόν, οἷον ἐμὸς ἢ τοῦ δεῖνος,* ubi Bonitzius translationis scipturam „aut huius filius" pro „*ἢ τοῦ δεῖνος*" repudiandam esse recte censuit[1]) ac quam facile in illud interpretamentum praesertim is potuerit incidere qui vocem *δεῖνος* non perceperit, manifestum est.

Etiam major illecebra sita est in translatione verborum I, 13. 1260 a 1 *φανερὸν τοίνυν ὅτι ἀνάγκη μὲν μετέχειν ἀμφοτέρους ἀρετῆς, ταύτης δ' εἶναι διαφοράς, ὥσπερ καὶ τῶν φύσει ἀρχομένων*: „manifestum igitur quia necesse quidem participare utrosque virtute, huius autem esse differentiae, quemadmodum et natura principantium et subjectorum." Verum tamen dubito Susemihli exemplo *ἀρχόντων* recipere. Nam consentaneum est hanc vocem facillime et a librariis potuisse omitti et ab interprete conjectura addi[2]). Itaque res redit ad sensum verborum, quem persuasum habeo *ἀρχόντων* hoc loco aspernari et respuere, quoniam per totum caput Aristoteles nusquam statuit diversa genera *ἀρχόντων*, apertissimis autem verbis *ἀρχομένων,* id quod apparet ex v. 17 *διὸ τὸν μὲν ἄρχοντα τελέαν ἔχειν δεῖ τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν . . . . τῶν δὲ ἄλλων* (i. e. *ἀρχομένων*) *ἕκαστον ὅσον ἐπιβάλλει αὐτοῖς,* atque ipsae *διαφοραὶ τῶν φύσει ἀρχομένων* afferuntur inde a. v. 10 *καὶ πᾶσιν ἐνυπάρχει μὲν τὰ μόρια τῆς ψυχῆς, ἀλλ' ἐνυπάρχει διαφερόντως. ὁ μὲν γὰρ δοῦλος κτλ.* Qua de causa unam codicum sripturam *ὥσπερ καὶ τῶν φύσει ἀρχομένων* consentire censeo cum nexu sententiarum.

Alia additamenta si Guilelmo tribuamus cum verendum sit ne nimio plus sagacitatis atque eruditionis bono monacho vindicemus, ex glossis codicis sui in continuis verbis cum posuisse putamus, praesertim cum sat certis argumentis constet, codicem *Γ* et correctiones passum esse et glossis instructum. Quod cum occasione data animadvertimus ibi ubi ipsius Guilelmi de codicis

nec video, qui Bernaysius vertens: indem, welche ihn angreifen, dies nun auch leicht können", sensum sanum sibi assecutus esse videatur. Forte Aristoteles scripsit: *ἔστι δὲ ἐπικίνδυνος οὕτως ἔχουσα πόλις ⟨ἀπὸ⟩ τῶν βουλομένων ἐπιτίθεσθαι καὶ δυναμένων,* quod ad eandem rationem redit atque *ὠφελεῖσθαι ἀπό τινος,* alia cf. Xen. Cyr. I, 1. 2.

[1]) vide Hermae tom. VII (1872) p. 102.

[2]) Fortasse non sine pondere est, quod „principantium" solo codice a est proditum, unde licet conjicere, hoc verbum a Guilelmo margini adscriptum in altero archetypo in textum irrepsisse in altero plane esse omissum.

Γ scripturis testimoniorum mentionem fecimus, tum luculenter apparet ex II, 9. 1269 b 16 *δῆλον ὅτι καὶ πόλιν ἐγγὺς τοῦ δίχα διῃρῆσθαι δεῖ νομίζειν εἴς τε τὸ τῶν ἀνδρῶν πλῆθος καὶ τῶν γυναικῶν*: „palam quia et civitatem prope ei quod est in duo dividi oportet putare ut ad virorum multitudinem et mulierum" in quibus scripturam „ut ad" cum codex M^s praebeat *ὥστε* pro *εἴς τε* recte videtur Susemihlius ita explicasse ut *εἰς* super *ὡς* a librario codicis *Γ* superscripto Guilelmum utramque particulam diceret expressisse. Manifestum autem exemplum legitur III, 16. 1287 a 10 *περὶ δὲ τῆς παμβασιλείας καλουμένης, αὕτη δέ ἐστι καθ' ἣν ἄρχει πάντων κατὰ τὴν ἑαυτοῦ βούλησιν ὁ βασιλεύς . . . . δοκεῖ δὲ κτλ.*, ubi procul dubio post *βασιλεύς* defectus plurium verborum statuendus est; Guilelmus vero orationem ita continuat, ut inserat „dicendum", quae glossa certe ad eundem redit, cuius interpretamentum plenius offert cod. P^2: *κατὰ κοινοῦ τὸ λεκτέον*. Neque dubito, quin III, 16. 1187 a 28 Guilelmus cum verteret „qui quidem intellectum jubet principari videtur jubere principari deum et leges" glossa illa ascita, quam codd $P^{1\,2\,4}$ servarunt, codicum nostrorum depravatam sripturam *ὁ μὲν οὖν τὸν νόμον κελεύων ἄρχειν δοκεῖ κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν καὶ τοὺς νόμους* adjuvare studuerit. Quare facere non possum, quin in versibus illis Homericis (Il. II, 391 sqq.) qui citantur III, 14. 1285 a 12 constituendis longe a Susemihlio dissentiam atque etiam nimiae cuiusdam audaciae eum ac levitatis arguam. Codicum M^s et Π^2 enim memoria haec verba continentur: *ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης . . . . οὔ οἱ . . . ἄρκιον ἔσσειται φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνούς· πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος*, a quibus ceteri testes ita discrepant, ut codex P^1 *ἀπάνευθε νοήσω* in verbis continuis exhibeat et in margine *ἀπάνευθε μάχης νοήσω*, Guilelmus sic vertat: „quem ego videro fugientem proelio non sufficiens erit sibi fugere canes et vultures: apud me enim est mors." Qua translatione confisus cum Suhsemihlius *ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης φεύγοντα νοήσω*, pro veris Aristotelis verbis venditare studeat, ex iis, quae adhuc de Guilelmi ratione disputavimus non erit quin concedat, admodum inconsulte atque incaute eum se gerere. Nam tantum abest ut cognitum exploratumque habeamus, Guilelmum reapse in codice *φεύγοντα* legisse, ut contra equidem nullus dubitem, quin ea tantum quae in margine codicis P^1 exarata sunt, ille inter glossas codicis invenerit atque de more suo ut plenum sensum efficeret in continuis verbis ponenda esse judicarit. Superest igitur ut ex

iis quae in codicum superstitum memoria relinquantur discrepantiis veritatem eliciamus. Atque hac in re dijudicanda primum respiciendum est, in verbis citatis saepissime usu venire, ut a doctis librariis vel correctoribus supplementa adjiciantur, deinde ea quae omissa sunt in codicibus M^s et Π^2 nihil prorsus ad summam rei facere, quae contineatur verbis *πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος*, postremo ex more fieri et omnium veterum scriptorum[1]) et Aristotelis, ut in citandis locis vel sensum tantum primis verbis significent vel in perscribendis verbis ea, quae minus ad rem spectent, omittant, velut ut unum proferam exemplum poet. 25, 1461 a 16 haec leguntur: *τὸ δὲ κατὰ μεταφορὰν εἴρηται οἷον „ἄλλοι μέν ῥα θεοὶ καὶ ἀνέρες εὗδον παννύχιοι" ἅμα δέ φησιν „ἦ τοι ὅτ' ἐς πεδίον τὸ Τρωικὸν ἀθρήσειεν, αὐλῶν συρίγγων θ' ὅμαδον"* quorum ille locus in Homeri Il. II, 1 sic habetur:

ἄλλοι μέν ῥα θεοὶ καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταί
εὗδον παννύχιοι. hic in Il. X. 11.
ἤτοι ὅτ' ἐς πεδίον τὸ Τρωικὸν ἀθρήσειεν
θαύμαζεν πυρὰ πολλὰ τὰ καίετο Ἰλιόθι πρό,
αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνόπην ὅμαδόν τ' ἀνθρώπων.

Quibus de causis memoriam codicibus M^s et Π^2 proditam genuinam esse censeo.

Jam digrediamur ad percensendos eos locos, quos Guilelmus in codice *Γ* omni ex parte sanos atque incorruptos sua usus transferendi ratione liberiore corrupisse videatur. Quod discrepantiarum genus ut est uberrimum maximique ad auctoritatem translationis perpendendam momenti, ita multifariam me judice viros doctos in fraudem vocavit. Nam quicunque vel paucas translationis pagellas diligentius aliquanto perlegerit fieri non potest quin vehementer miretur, Susemihlium ne id quidem interpreti concedere, ut *εὐγενής* modo „nobilis" modo „ingenuus" vertat[2]), qui e. g. *ἡλικία* et per „figura" et per „aetas" transferat, *οὐ μὴν ἀλλά* per „non solum" et „immo vero", *διοικεῖν* per „disponere, gubernare, dispensare" *ἐπιτίθεσθαι* „per praeferri, insurgere, invalescere,[3])

---

[1]) de Cicerone vide Vahlenum in ind. lect. univers. Berol. sem. hib. 1879/80.

[2]) cf. proll. XXXIII.

[3]) V, 6. 1305 b 16, quia insurgere proxime antecedit; sensu autem plane pessum dato verba *ἐπιλαβόμενος γὰρ στασιαζόντων ὁ δῆμος καὶ λαβὼν προστάτην ἐκ τῶν γνωρίμων, ἐπιθέμενος ἐκράτησεν* sic vertit: „insurgens autem populus seditionem agentibus et accipiens praesidem ex insignibus invalescens obtinuit", quibus tradita verba non subjecta esse, ut Susemihlius videtur suspicari, non concedam.

insilire[1])", alia quae enumerare piget. Hoc autem ex studio variandi, quo rectis pravissima miscentur, cum ingenium compareat incultum atque impolitum, tum inveniuntur quae etiam illud Rogeri Bakonis judicium[2]) confirmare videantur, velut non casu puto accidisse, ut *ὡς ἔπος εἰπεῖν* semper legamus versum „ut consequens est dicere", neque Susemihlio prave conjicienti „ut conveniens est dicere" obsequor, verum Guilelmum sensu illorum verborum non perspecto *ἔπος* ad *ἕπεσθαι* retulisse censeo et ipsum sibi sensum quamvis ineptum finxisse. Neque ab hac ratione abhorret, quod I, 13. 1260 b 23 *περὶ τῶν ἀποφηναμένων περὶ τῆς ἀρίστης πολιτείας* interpres vertit: „de pronunciatis de optima civitate" II, 3. 1261 b 35 *πρὸς δὲ τοῖς ἄλλοις*: „apud alios" porro *ἐπιτίθεσθαι* „praeferri", *ἐπιδημεῖν* „praefectum" vel „praefectum populi esse". Huc denique referendum esse puto, quod III, 16. 1287 a 27 verba *ἔτι δὲ ἐπανορθοῦσθαι δίδωσι* translata sunt „adhuc autem omnia dirigere dant."[3]) Etenim in vertendis verborum compositis Guilelmus miram sane solet rationem eam sequi, ut compositum in partes suas dissecet, quarum singula vertendo exprimat ut I, 11. 1259 a 13 *ἐλαιουργῶν,* quod videtur ille legisse sed non debebat pro *ἐλαιουργείων* Susemihlius recipere, transfert „olivarum cultoribus" III, 14, 1285 a 24 *τὸν κακοπάτριδα Πίττακον*: „malum patriae Pittacum", atque etiam II, 9. 1271 b 8 *τὰ ἀγαθὰ τὰ περιμάχητα*: „bona quae circa res bellicas", II, 9. 1271 a 3 *φαίνονται δὲ καὶ καταδωροδοκούμενοι καὶ καταχαριζόμενοι*: „videntur autem et velle videri dativi et inutiliter tribuentes", ubi videri dativi

---

[1]) nam V, 11. 1314 b 11 *ἧττον γὰρ ἂν οἱ φυλάττοντες ἐπιτίθοιντο τοῖς πράγμασι*: „minus enim utique qui servant insilient rebus" Susemilius immerito insilient in insidientur mutavit, quae conjectura vel eo refutatur, quod Guilelmus *ἂν* conjunctum cum optativo non per utique cum conjunctivo solet transferre sed per futurum verbi particula utique addita aut omissa.

[2]) „ut notum est omnibus parisiis literatis nullam novit scientiam in lingua graeca, de qua praesumit, et ideo omnia transfert falsa et corrumpit scientiam Latinorum" cf. Jourdainum „recherches critiques sur l' âge et l' origine des traductions latines d' Aristote", Paris 1819. (deutsch von A. Stahr p. 68). Oncken „Staatslehre des Aristot." p. 71. Tamen Baconem Guilelmo ex parte injuriam fecisse, manifestum est.

[3]) haec amplexus Susemihlius haud dubie perperam in ed. pr. scripsit: *ἔτι δὲ πάντα ἐπανορθοῦσθαι δίδωσι.*

certe ad *καταδωροδοκούμενοι* redeunt.[1]) Quare non sine probabilitate licet conjicere *πάντα* depromptum esse ex *ἐπανορθοῦσθαι,* praesertim cum Guilelmus verbo dirigere non compositum sed simplex verbum *ὀρθοῦσθαι* reddere videatur. Sed haec sunt minoris momenti neque adeo idonea ad negotium nobis facessendum. Gravissimam vero vim ad Victorii quique eum secuti sunt de fide translationis opinionem redarguendam id habet, quod Guilelmus quamquam universe laudabilem diligentiam praestitit, alia neglegentius egit alia nulla re cogente nimis libere ad libidinem transformavit. Etenin neglegenter actum est, quod saepissime genera verborum mutavit, cuius rei supra occasione oblata exempla collegimus, neque tamen haec saepius quam tempora aut modos. Itaque et III, 1. 1275 b 16 *ἀποδέδοται* unum rectum esse confidenter confirmo neque VII, 1. 1323 a 20 Susemihlio ex translatione *ὡμολογῆσθαι* pro *ὁμολογεῖσθαι* reponenti adsentior; rectissime autem II, 3. 1262 a 2 *λέγει* se habet, quia novum argumentum a verbis *ἔτι οὕτως ἕκαστος ἐμὸς λέγει* incipit[2]), quo in afferendo consentaneum est Aristotelem eodem tempore uti atque in proximo: *πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις ὡς ἑτέρου φροντίζοντος ὀλιγωροῦσι μᾶλλον.* Latius etiam patet licentia numeros nominum pervertendi et, id quod prorsus mirabile est, corrigendi gradus adjectivorum. Sed haec satis habeo verbo monuisse, ut tandem ad graviores translationis discrepantias quae non nisi interpreti debeantur, perveniamus. Atque hoc quoque in genere ut ratio Guilelmi ante oculos ponatur lubet exempla quae omni dubitationi exempta videantur, praemittere. Sic quae leguntur VII, 2. 1324 b 18 *εἰ δὲ τοῖς Ἴβρησιν, ἔθνει πολεμικῷ, τοσούτους τὸν ἀριθμὸν ὀβελίσκους κακαπηγνύουσι περὶ τὸν τάφον ὅσους ἂν διαφθείρῃ τῶν πολεμίων* certe non difficilia intellectu Guilelmus vertit: „inter Iberos autem qui sunt gens bellicosa tot numero numerantes commassant circa sepulcrum, quot utique peremerit inimicorum", quae quid sibi velint facile per-

---

[1]) Susemihli mentem, qua „velle videri" corruptum esse putat ex „vel videri", eamque fuisse variam lectionem ad „videntur" adscriptam, ingenue confiteor me non assequi, nam qui „videri" varia lectio esse possit verbi „videntur", Oedipo interprete opus est. Fortasse „velle" depravatum est ex „male". quo praepositio *κατα* in *καταδωροδοκούμενοι* exprimatur.

[2]) Obsequor igitur Bonitzio, qui in Herm. VII (1872) p. 102 tam circumspecte rem egit, ut pigeat me disputationem speciosissimam frustulis amplificare, praesertim cum Susemihlio huc illuc fluctuanti me persuasurum desperandum esse videatur.

spiciemus, si Guilelmum statuerimus vocem *ὀβελίσκους* non plene intellectam non de statuis, quae propria notione obelisci apellantur, sed de nummis obeliscorum forma ornatis accepisse, quorum mentionem facit Plut. Lys. c. 17 *κινδυνεύει δὲ καὶ τὸ πάμπαν ἀρχαῖον οὕτως ἔχειν, ὀβελίσκοις χρωμένων νομίσμασι σιδηροῖς, ἐνίων δὲ χαλκοῖς.*[1]) Hinc igitur et quo modo translatio verbi *καταπηγνύουσι* „commassent" orta sit cognoscimus et facile nobis persuadebimus numerantes casu corruptum esse ex nummos.[2])

Cui simile exemplum est IV, 16. 1300 b 29 *οἷον Ἀθήνησι λέγεται τὸ ἐν Φρεαττοῖ δικαστήριον* „velut Athenis dicitur et quod in puteum compulit judex", quem sensum Guilelmus nomine *Φρεαττοῖ* non percepto ita finxit, ut *τὸ ἐν φρέατι δικαστὴν ἰέναι* menti sibi informasse videatur. Eodem redit VI, 4. 1319 a 24 verbi *θυραυλεῖν* translatio „venari", cui mendum codicis *Γ* subesse nego, et VI, 4. 1318 b 4 *ὅμως ῥᾶον τυχεῖν ἢ συμπεῖσαι τοὺς δυναμένους πλεονεκτεῖν*: „tamen facilius sortiri quam permittere potentes supergredi" ubi *συμπεῖσαι* cum *πλεονεκτεῖν* conjungendum esse ratus verbo „permittere" reddit, ut aliquem sensum consequatur. Nec non ingenio Guilelmi debetur illud „recentiores" pro *εὐχείμεροι*, quod Schneiderus rectissime tutatus est in VII, 11 1330. a 40 *δεύτερον δὲ κατὰ βορέαν, εὐχείμεροι γὰρ αὗται μᾶλον*, ubi Susemihlius *νεαροί* scribens ne Guilelmi quidem mentem assecutus esse mihi videtur. His ex exemplis, quorum numerum facile est augere, satis puto conspici, Guilelmum ubi verborum traditorum sententiam non plene percepisset, singula verba ad eum sensum non dubitasse transformare, quam sua sponte sibi refinxisset, atque apparet, etiam iis locis, quibus translatio sanum quidem sensum sed a codicum superstitum memoria abhorrentem simulque faciliorem praebeat, vehementer nobis verendum esse, ne falso splendore decepti translatione longe a vero deducamur, quamquam plurimis locis etiam a sensu codicum memoriam praestare firmis constat argumentis. Velut VII, 6. 1427 a 32 *ἐπεὶ δὲ καὶ νῦν ὁρῶμεν πολλαῖς ὑπάρχον καὶ χώραις καὶ πόλεσιν ἐπίνεια καὶ λιμένας εὐφυῶς κείμενα πρὸς τὴν πόλιν ὥστε μήτε τὸ αὐτὸ νέμειν ἄστυ μήτε πόρρω λίαν ἀλλὰ*

---

[1]) vide etiam Plut. Fab, Max. c, 27.

[2]) Forte conjiciat quis „numeros", quae vox pro nummus videtur in medii aevi latinitate usui fuisse, invenitur enim in charta, quam laudat Mabillon „annales ordinis St. Beuedicti" Par. 1703 — 39 et in „Chartulario St. Vincentii Cenomani" sed forte his potius locis „numerus" corrigendum est in „nummus".

κρατεῖσθαι τείχεσι καὶ τοιούτοις ἄλλοις ἐρύμασιν, in quibus translationis memoria a codicibus ita discrepat, ut praebeat „ut neque occupetur ipsum municipium i. e. *ὥστε μήτε νέμειν αὐτὸ τὸ ἄστυ*, quae Susemihlius recepit. Verum ego non dubito codicum scripturam praeferre qua sensus continetur omni ex parte absolutus: portus ita comparati sunt, ut neque idem faciant *ἄστυ* quod urbes neque longe ab his absint, quibus verbis elucet Aristotelem tales portus significare quales erant Piraeus, Cenchrea, Cirrha. Hac autem scriptura servata conspicitur vocem *ἄστυ* hoc loco aptissime nec sine consilio positam[1]) esse atque verbi *νέμειν* rationem habitandi usitatissimam ab hominibus ad oppida vel portus delatam, ut in Herod. VII. 22 *πόλιες μὲν αὗται τὸν Ἄθων νέμονται*, ubi genus medium eandem vim quam nostro loco activum habet. Nec non dubitationibus exemptus est locus qui legitur II, 8. 1268 a 40 *ἀλλὰ μὴν εἴ τις τοὺς αὐτοὺς θήσει τήν τε ἰδίαν καὶ τὴν κοινὴν γεωργοῦντας τό τε πλῆθος ἄπορον ἔσται τῶν καρπῶν ἐξ ὧν ἕκαστος γεωργήσει δύο οἰκίας καὶ τίνος ἕνεκεν οὐκ εὐθὺς ἀπὸ τῆς γῆς καὶ τῶν αὐτῶν κλήρων αὐτοῖς τε τὴν τροφὴν λήψονται καὶ τοῖς μαχίμοις παρέξουσιν.* Horum enim verba *γεωργήσει δύο οἰκίας* multis jam viris doctis suspicionem curruptionis moverunt variasque acceperunt emendationes velut a Camerario *δυσὶν οἰκίαις*, a Bernaysio *εἰς δύο οἰκίας*. Susemihlius autem eos secutus qui in Guilelmi translatione „ministrabit duas domus" opinabantur vestigia verae scripturae sita esse, *ὑπουργήσει δύο οἰκίας* posuit, quae Sepulvedae exemplo ita intellegi vult, ut verbis *δύο οἰκίας* significentur duae familiae ad agros duos colendos necessariae, ut apparet ex illius translatione vernacula (cf. p. 265) „so wird schwerlich die Menge des Fruchtertrags ausreichend sein, um zwei (getrennte) Wirthschaften vel

---

[1]) cuius vis illustratur ab Eustathio ad Il c. 144 *ἐν δὲ τῷ πόλιν καὶ ἄστυ σαώσεις ζητητέον εἰ πόλιν μὲν λέγοι τὸ κατώτερον, ἄστυ τὴν ἀκρόπολιν ἢ καὶ ἀνάπαλιν ἴσως δὲ καὶ ἐκ παραλλήλου ἔφη πόλιν καὶ ἄστυ ὡς ἰσοδύναμα ταὐτολογῶν καὶ νῦν διὰ τὸ ἀγωνιᾶν οἱ δὲ παλαιοί φασι πόλιν μὲν εἶναι τὴν πολιτείαν ἄστυ δὲ τὸ τεῖχος*, et Lycurg. Leocr. § 18 cum dicit ipsam urbem Athenarum *ἄστυ τῆς πόλεως*. Quae leguntur in Etym. M. et apud Steph Bjz. ex Philochoro deprompta (cf. Müller frg. hist. Graec. I p 388) nihili sunt. De notione verbi *νέμειν* cf. Schneideri ed. p. 410.

[1]) his conjecturis qui efficitur sensus cum re ac veritate pugnare videtur, neque enim fieri potest, ut cum Lambino, Giphanio aliis alteram domum rustici alteram militis intellegamus, quoniam ineptum est rem ita sibi informare, ut singulae militum familiae a singulis rusticis sustententur.

um zwei Wirthschaften (eine eigene und eine fremde[1]) aus ihm zu erhalten". Hic autem sensus, ut difficultatem ex arte grammatica redundantem praetermittam, qua Schneiderus scite vidit nos in Camerarii conjecturam duci, tam debilis est tamque ad ipsam Aristotelis sententiam incommodus, et non verum eum esse persuasum habeam. Nam qui deos agros colendos accepit, quorum alterum in suum commodum converteret alterius omnes fructus conferret in commune aerarium, unde ipse nihil caperet utilitatis, non solum ex privati agri fructibus duas familias sustentare coactus est vel unam numero duplicatam, sed etiam partem fructuum eamque non parvam ad agros et communem et privatum conserendos convertere eum opus est, quae quidem numera apte comprehenduntur unius verbi *γεωργεῖν* significatione, neque video quo modo illam offensionem evitemus nisi hoc verbum tenaciter servandum esse censeamus. Itaque quoniam ineptum est *δύο οἰκίας* referre ad domus rustici et militis neque licet de familiis servorum cogitare, mendum suspicor in ipsa hac voce *οἰκίας* latere quae cum verear ut satis probabiliter possit emendari nescio an pro interpretamento eius habenda sit qui in nudo *δύο* offenderit. Verum *δύο* hoc modo usurpatum esse docet e. g. polit. V, 9. 1310 a 4 *δύο γὰρ ποιοῦσιν ἀεὶ τὴν πόλιν* ac fortasse huic opinioni inde aliquid adminiculi accrescit, quod Aristoteles post *γεωργεῖν* fere constanter substantivum omittit, dicit enim *ἰδίαν, κοινὴν γεωργεῖν,* 1268 a 34 *εἰ δὲ ἕτεροί τινες ἔσονται τῶν τε τὰ ἴδια γεωργούντων καὶ τῶν μαχίμων.* Sed utut de emendatione horum verborum judicatur hoc puto extra dubitationem positum esse, verbum *γεωργεῖν* hoc loco necessario requiri atque „administrabit" pro mera interpretis conjectura habendum esse. Neque difficile est menti sibi informare, qua via interpres ut aliquem ex traditis verbis sensum eliceret ad hanc interpretationem primo obtutu non acriter cum nexu sententiarum pugnantem deductus esse videatur.

Quibus quidem locis cum sine dubitatione translationis scripturam repudiandam esse censeam, concedendum est, esse quosdam ita comparatos ut si translationem sequamur, nullo negotio difficultates admodum molestas expediamus; iisque par est etiam majorem nos adhibere cautionem, ne fucosa specie decipiamur. Velut II, 11. 1273 b 18 codices nostri habent *ὀλιγαρχικῆς*

[1]) quod me judice unum ad sententiam aptum est; nam Aristotelis offensio manet sive familiae in unam eamque duplicem contractae sunt sive in duas divisae.

δ' οὔσης πολιτείας (sc. *τῶν Καρχηδονίων*) *ἄριστα ⟨στάσιν⟩ ἐκφεύγουσι τῷ πλουτεῖν ἀεί τι τοῦ δήμου μέρος ἐκπέμποντες ἐπὶ τὰς πόλεις,* quae cum Guilelmus vertit: „oligarchica autem existente politia optime effugiunt inditando semper aliquem populi partem emittentes super urbes"[1]) eandem excudit sententiam, quam VI, 5. 1320 b 5 Aristotele de eadem re disputante legimus: *ἀεὶ γάρ τινας ἐκπέμποντες τοῦ δήμου πρὸς τὸς περιοικίδας ποιοῦσιν εὐπόρους*: quo consensu grave videtur momentum contineri ad firmandam eorum sententiam, qui secundum translationem *πλουτίζειν* scribendum esse censent. Verum tamen in hac scriptura dubitationes non levidenses resident. Namque auctoritas translationis in hac quaestione prorsus nihil valet, quia et omnium codicum consensus nobis suadet, ut potius conjecturam Guilelmi quam sinceram memoriam statuamus, nec quam facile is qui *πλουτεῖν* cum *ἀεί τι τοῦ δήμου μέρος* comprehendat in illam emendationem potuerit incidere non intellegitur. Itaque in eo est, ut tum demum hanc scripturam ad sensum sane aptam amplectamur, si codicum nostrorum memoriam omni sensu destitutam esse concesserimus. Atque ego mihi persuasi verbum *πλουτεῖν* sensum non incommodum exhibere, dummodo de copia ac potestate Carthaginiensium semper aliquam populi partem emittendi id intellegamus ac referamus ad divitias agrorum et urbium subactarum. Quam interpretandi rationem si quis putet pugnare cum dativo *τῷ πλουτεῖν* sciendum est, cum apud omnes scriptores saepissime casu dativo causam significari, tum Aristotelem in hoc maxime genere mira usum esse licentia.[2]) Quare impetrare a me non possum, ut a codicum memoria discedam atque etiam pro certo habeo, codicem *Γ* nihil a nostris discrepasse.

In ineptias vero Susemihlius mihi videtur passus esse ab interprete se duci in constituendis verbis quae leguntur VII, 16. 1335 b 14 *τοῦτο δὲ ῥᾴδιον τῷ νομοθέτῃ ποιῆσαι προστάξαντι καθ' ἡμέραν τινὰ ποιεῖσθαι πορείαν πρὸς θεῶν ἀποθεραπείαν τῶν εἰλοχότων τὴν περὶ τῆς γενέσεως τιμήν* a Susemihlio secundum translationem sic corrupta . . . . *πρὸς θεῶν ἀποθεραπείαν*

[1]) *στάσιν* a Bernaysio insertum est conjectura ut credo felicissima.

[2]) cf. III, 3. 1266 a 12: *ὡς ἐνίας τῶν πολιτειῶν τῷ κρατεῖν οὔσας ἀλλ' οὐ διὰ τὸ κοινῇ συμφέρειν,* et Bonitz ind. p. 166. Illa licentia maxime conspicitur in praepositione *διὰ* nullo discrimine et cum genitivo et cum accusativo conjuncta cf. Vahlenus poet. p. 175.

ταῖς εἰληχυίαις τὴν περὶ τῆς γενέσεως τιμήν, ex quibus quo artificio sensum sanum elicere sibi videatur, parum liquet[1]). Codicum autem scripturam non opus est pluribus tutari quia sensus omni offensione caret[2]) atque definitio ad *πρὸς θεῶν* adjecta aptissima est vel potius necessario requiritur.

Aliis locis translatio viros doctos ideo a vero seduxit, quod Guilelmus sensu recte servato singula verba ad interpretandum difficiliora liberiore usus ratione transtulit. Inter quos inprimis refero I, 6. 1255 b 12 *διὸ καὶ συμφέρον ἐστί τι καὶ φιλία δούλῳ καὶ δεσπότῃ πρὸς ἀλλήλους τοῖς φύσει τούτων ἠξιωμένοις*, quae cum Guilelmus vertat „propter quod et expediens aliquid est et amicitia servo et domino ad invicem his qui natura tales dignificantur“ Schneiderus eum legisse *τοιούτοις* conjecit, quod Susemihlius certe justo audacius in verba recepit praesertim cum ipse suo jure concedat, ne hanc quidem emendationem linguae satis facere et dubitanter ac meo sensu infeliciter *τοιούτοις εἶναι* proponat scribendum. Sed ne de re manifesta multa verba faciamus scriptura codicibus prodita rectissime se habet modo *τούτων* genetivum nominativi *ταῦτα* esse statuamus, quo significetur *δοῦλον καὶ δεσπότην εἶναι*. Quam dicendi rationem invenimus saepius in *ἀξιοῦσθαι τῶν ὁμοίων, τῶν ἴσων* i. e. *ὅμοιοι, ἴσοι εἶναι* velut II, 9. 1269 b 9 *καὶ τῶν ἴσων ἀξιοῦσιν ἑαυτοὺς τοῖς κυρίοις*, V, 1. 1301 b 39 *ἐὰν κατά τι ἄνισοι, πάντων ἀνίσων ἀξιοῦσιν ἑαυτούς*, ubi Spengelius sine justa causa *ἀνίσους* emendavit. Guilelmi autem interpretatio „his qui natura tales dignificantur“ facile intellegitur unde orta sit; nempe *τούτων* pro genetivo nomitativi *οὗτοι* accepto pro „his qui hi dignificantur“ scripsit „his qui tales dignificantur“ eadem de causa qua II, 5. 1264 a 37 *τίνες* transtulit per „tales“ *τίς ἡ τούτων τε πολιτεία καὶ παιδεία καὶ νόμοι τίνες*: „quae horum politia et disciplina et leges quales.“

---

[1]) nam is quem vernacula translatione expressit „diejenigen Frauen, denen die Ehre der Schwangerschaft zu Theil geworden ist“ et absurdus est neque ipsis quae posuit verbis graecis exhibetur.

[2]) eomparari licet Platon. Phileb. 61 c. *εἴθ᾽ ὅστις ταύτην τὴν τιμὴν εἴληφε τῆς ξυγκρίσεως*. Quo exemplo fortasse sunt qui moveantur ut in Schneideri sententiam *τῆς γενέσεως* vel *περὶ τὰς γενέσεις* proponentis discedant. Sed hic praepositionis *περὶ* usus firmari videtur Plat. Phaed. 95. e. *ὅλως γὰρ δεῖ περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς τὴν αἰτίαν διαπραγματεύεσθαι.* Diod. Sic. V, 35 *εἴρηται μὲν οὖν ἡμῖν καὶ ἐν τοῖς περὶ ταύτης βίβλοις ἐν ταῖς περὶ Ἡρακλέους πράξεσι τὰ κατὰ κτλ.* aliis locis.

II, 8. 1268 b 4: *οὐ καλῶς δὲ οὐδ᾽ ὁ περὶ τῆς κρίσεως ἔχει νόμος, τὸ κρίνειν ἀξιοῦν κτλ.* vertit interpres: „non bene autem neque de judicio habet lex judificare dignificans“, unde conjectura *ὁ κρίνειν ἀξιῶν* comprobata Susemihlius in ed. min. suo jure adnotat, rem admodum dubiam esse neque satis certum, Guilelmum reapse *ὁ κρίνειν ἀξιῶν* legisse. Equidem paullo confidentius contendam, in codice *Γ* non aliud atque in nostris exaratum fuisse *τὸ κρίνειν ἀξιοῦν*, quod Guilelmum neglegentius ad vocem *ὁ νόμος* accommodasse.

His aggregandus est locus forte omnium miserrime Guilelmi opera vexatus. Legitur enim III, 3. 1276 a 8 — est autem totum orationis membrum quamvis prolixum perscribendum — *ἀποροῦσι γάρ τινες πόθ᾽ ἡ πόλις ἔπραξε καὶ πότε οὐχ ἡ πόλις, οἷον ὅταν ἐξ ὀλιγαρχίας ἢ τυραννίδος γένηται δημοκρατία τότε γὰρ οὔτε τὰ συμβόλαια ἔνιοι βούλονται διαλύειν ὡς οὐ τῆς πόλεως ἀλλὰ τοῦ τυράννου λαβόντος, οὔτ᾽ ἄλλα πολλὰ τῶν τοιούτων, ὡς ἐνίας τῶν πολιτειῶν τῷ κρατεῖν οὔσας ἀλλ᾽ οὐ διὰ τὸ κοινῇ συμφέρον· εἴπερ οὖν καὶ δημοκρατοῦνταί τινες κατὰ τὸν τρόπον τοῦτον ὁμοίως τῆς πόλεως φατέον εἶναι ταύτης τὰς τῆς πολιτείας ταύτης καὶ τὰς ἐκ τῆς ὀλιγαρχίας καὶ τῆς τυραννίδος*, in quibus cum Susemihlius pro *καὶ δημοκρατοῦνται* secundum translationem: „siquidem igitur in democratiam versae fuerant quaedam“ scribat *κατὰ δημοκρατίαν ἐτράποντο* non potest *κατὰ τὸν τρόπον τοῦτον* cum posterioribus non conjungere neque ante *εἴπερ οὖν* verborum defectum statuere hoc fere modo resarciendum: *ἀλλὰ καὶ ἡ δημοκρατία οὐ σκοπεῖ τὸ κοινῇ συμφέρον.* Quod quidem supplementum et cum sana mente adverso fronte pugnare videtur et abhorrere a sensu Aristotelis, qui tantum abest ut hanc intricatam quaestionem continuo dirimat atque ad finem perducat, ut contra ipse haec verba adjungat: *ἔοικε δὲ ὁ λόγος οἰκεῖος εἶναι τῆς ἀπορίας ταύτης κτλ.* unde apparet de more eum *ἀπορίαν* quam dicit posuisse atque detexisse tantum difficultatem quaestionis, non solvisse. Neglecta autem translationis discrepantia habemus *εἴπερ οὖν καὶ δημοκρατοῦνταί τινες κατὰ τὸν τρόπον τοῦτον* i. e. ita ut non commodum commune spectent, quibus verbis quae subjiciuntur assentior quodam modo corrupta esse, neque vero Hayduckio obsequar *οὐ* post *ὁμοίως* inserenti, sed nescio an ita facilius atque aptius rem expediamus, ut hoc ennutiati membrum pro interrogativo accipiamus: *εἴπερ οὖν καὶ δημοκρατοῦνταί τινες κατὰ τὸν τρόπον τοῦτον, ὁμοίως τῆς πόλεως φατέον εἶναι ταύτης τὰς τῆς πολιτείας*

ταύτης πράξεις καὶ τὰς ἐξ ὀλιγαρχίας καὶ τυραννίδος; quam rationem si sequamur commodissime verbis *ἔοικε δὲ ὁ λόγος κτλ.* quaestio interrumpi videtur atque paullum relegari. Itaque nullis artificiis opus est ad sanum aptumque sensum recuperandum, dummodo translationem repudiemus, neque difficile, originem illius discrepantiae indagare, cum sententiarum nexu non perspicue intellecto non sine juris specie quis in tempore praesente *δημοκρατοῦνται* offendat, si respiciat: *ὅταν ἐξ ὀλιγαρχίας ἢ τυραννίδος γένηται δημοκρατία,* quibus nostra verba accommodandi studio liberior illa translatio deberi videtur.

Ad eandem licentiam redit discrepantia translationis II, 9. 1269 b 35 *χρησίμου δ' οὔσης τῆς θρασύτητος πρὸς οὐδὲν τῶν ἐγκυκλίων ἀλλ' εἴπερ πρὸς τὸν πόλεμον*: „utili autem existente audacia ad nihil nisi ad bellum“, quam secutus Susemihlius post Sylburgium immerito *ἀλλ' ἤπερ* corrigentem *ἀλλ' ἢ [περ]* scripsit. Sed *ἀλλ' εἴπερ* omni offensione carere atque cum Aristotelis ratione dicendi concordare extra controversiam positum est et facile exemplis confirmatur velut polit. V, 11. 1315 a 9 *κοινὴ δὲ φυλακὴ πάσης μοναρχίας τὸ μηδένα ποιεῖν ἕνα μέγαν, ἀλλ' εἴπερ πλείους.*[1]) Nec non VII, 16. 1335 b 23 *ἐὰν δέ τισι γίνηται παρὰ ταῦτα συνδυασθέντων πρὶν αἴσθησιν ἐγγενέσθαι κτλ.* Guilelmus vertens: „si autem aliquibus fient praeter haec combinatis sqq“. procul dubiio idem legit quod nos, sed sermonis latini indolem secutus *συνδυασθέντων* ad dativum *τισι* adaptavit. Illius antem genetivi absoluti usus cum apud plurimos scriptores solemnis est tum Aristoteli valde adamatus[1]); atque proxime ad nostri loci similitudinem accedunt Xen. anab. II, 4. 24 *διαβαινόντων μέντοι* (sc. *τὴν γεφύραν*) *ὁ Γλοῦς αὐτοῖς ἐπεφάνη μετ' ἄλλων.* Aristot. metaph. 984 b 9. *μετὰ δὲ τούτους καὶ τὰς τοιαύτας ἀρχὰς οὐς ὠχ ἱκανῶν οὐσῶν γεννῆσαι τὴν τῶν ὄντων φύσιν* metaph. 992 b 19. *ὅλως τε τὸ τῶν ὄντων ζητεῖν στοχεῖα μὴ διελόντας πολλαχῶς λεγομένων ἀδύνατον εὑρεῖν.* —

Sed desinamus nimis multa exempla coacervare, quibus quod redarguere quodque confirmare nos studuimus in universum certe spero fore ut ab omnibus nobis concedatur, cum de singulis

---

1) ubi quod *ἀλλ' εἴπερ* accurate versum est „sed si quidem“ nullum ad nostrum locum habet pondus; conferas *κἂν* millies accurate, tribus locis per „quamvis“ translatum, *ἀλλὰ μὴν* per „insuper“.

2) quode vide Bonitzii dissertationem (Ztschr. für östr. Gymn. 1866 p. 785 ff).

quaestiunculis maximeque de explicationibus discrepantiarum translationis si quis a judicio meo deflectat, non ita pertinaciter contra tendam. Studiosissime autem eam sententiam defendem atque tutabor, Guilelmum quamvis fideliter verbis graecis addictum se praebeat, et ex industria et ex neglegentia non iis tantum locis quibus memoria mendis deformata esset sed etiam saepissime sive sensu perperam percepto sive verbis ex libidine mutatis, codicis sui memoriam vertendo adeo deflexisse, ut etiam si summa illi sit auctoritas vindicanda haec translatio nullo modo pro certo firmoque artis criticae praesidio haberi possit.

VI.

Transeamus igitur ad examinandum fidem auctoritatemque codicis illius quem Guilelmus vertendo expressit. Qua in re cum quae adhuc disputavimus magna ex parte versentur, pauca sunt quae inprimis ad sententiam nostram de arta necessitudine codicum Γ et M^s comprobandum addamus. Nam si certum est, id quod sane liquido mihi demonstrasse videor, codicem Demetri Chalcondylae ex limpido potioris recensionis fonte fluxisse, jam dubitari non potest, quin codices Γ et M^s ad unum archetypon redeant, quod apertum est archetypo codicis P^1 fide longe cessisse. Hoc ad firmandum quamquam plurima praesto sunt exempla, pauca tantum hic subjiciam, quorum primo luculenter aperitur, quo modo levidensis error trium codicum archetypi, qui quamquam omnem verbi sensum pessum dedit in codice P^1 fideliter servatus est, in codicibus Γ et M^s ita sit propagatus, ut prorsus novi aliquid appareat. Etenim III, 9 1280 b 5 *περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας πολιτικῆς διασκοποῦσιν ὅσοι φροντίζουσιν εὐνομίας,* codex P^1 exhibet *διακοποῦσι* pro *διασκοποῖσι,* M^s praebet *διακονοῦσι* et Guilelmus ministrant i. e. *διακονοῦσι,* quod haud dubie effectum est ex conjectura eius, qui *διακοποῦσι* sensu carere vidit. Atque in hoc quoque genere Susemihlium multa peccasse facile est ad intellegendum, velut III, 11. 1281 b 13 *ἐπεὶ κεχωρισμένων γε κάλλιον ἔχειν τοῦ γεγραμμένου τουδὶ μὲν τὸν ὀφθαλμὸν ἕτεροι δέ τινος ἕτερον μόριον* perverse scriptum est secundum codices M^s et Γ *κεχωρισμένον* pro *κεχωρισμένων.*[1]) VI, 8. 1322 b 1 *ἔτι δὲ κἂν ὦσιν ἱππεῖς ἢ ψιλοὶ ἢ τοξόται ἢ ναυτικόν, καὶ ἐπὶ τούτων ἑκάστων ἐνίοτε καθίστανται ἀρχαί,* ubi neque Schneidero adsentior *ἐπὶ*

---

1) cf. p. 44.

τούτων ἑκάστῳ conjicienti neque Susemihlio ex codicibus *Γ* M^s *ἐπὶ τούτων ἕκαστον* recepienti, quia *οὗτοι ἕκαστοι* ab usu sermonis non abhorret.

Neglegentissime autem illud archetypon fuisse scriptum cum ex multis mendis apparet, quorum satis amplum numerum supra protulimus, tum inde quod saepius in codicibus eadem verba per homoeoteleuta intermissa sunt; neque vero tamen glossas ei defuisse ex quibusdam illorum codicum scripturis concludi potest, quae sine dubio ex glossis in verba continua se insinuaverunt. Sic II, 8. 1268 a 36 *εἰ μὲν αὐτοὶ γεωργήσουσιν, οὐκ ἂν εἴη τὸ μάχιμον ἕτερον ἢ τὸ γεωργοῦν* quae his verbis in codicibus *Γ* et M^s adjecta videmus *ἕτερον εἶναι* perspicunm est ex eodem fonte fluxisse, unde glossa codicis Coisliniani marginalis *τούτους ἑτέρους εἶναι* hausta est; et III, 16. 1287 b 15 post verba *τοῦτο γάρ ἐστι τὸ „σύν τε δύ᾽ ἐρχομένω“ καὶ ἡ εὐχὴ τοῦ Ἀγαμέμνονος „τοιοῦτοι δέκα μοι συμφρόδμονες“* in codice M^s addita legimus: *ὡς οὐχ ἵνα λοιπὸν ἄρχειν δίκαιον,* in translatione „ut non jam principari justum“ quibus Susemihlius graeca verba *ὡς οὐκ ἤδη ἄρχειν δίκαιον* falso supposuit, neque dubitari potest, quin Guilelmus eadem legerit quae codice M^s prodita sunt eorumque *λοιπὸν* per jam verterit atque *ἵνα* quod mullum habet sensum omiserit. Incorrupta autem haec glossa servata est in margine codicis Demetri *„ἀπὸ κοινοῦ τὸ ὡς οὐχ ἕνα λοιπὸν ἄρχειν δίκαιον.* Itaque hac quoque glossa manifestum documentum necessitudinis codicum *Γ* et M^s nobis proditum esse gaudemus.

Quaerentes denique de ordine amborum codicum non videmur codici Ambrosiano injuriam facere, si potiorem locum codici *Γ* tribuamus. Nam quamquam difficile est in hac quaestione certi aliquid atque indubitati extricare, tamen cum codicis auctoritas eo multum augeatur quod librarius et nunquam videtur propter homoeoteleuta verba praeteriisse et, ut supra conati sumus demonstrare, transcripsisse glossas variasque lectiones, tum paucis locis licet nobis satis confidentur statuere, codice *Γ* corruptas voces ac sensu plane destitutas esse servatas, quae in codice M^s conjecturis correctae leguntur, velut quem locum supra jam apposuimus, V, 1. 1301 a 31 pro *ἕν τι* cod. P^1 exhibet *ἑ. τι,* quod in M^s correctum est in *ἔτι*, codicem *Γ* autem corruptionem servasse inde elucet, quod emendatio „in quocumque“ haud dubie Guilelmo debetur. V, 11. 1314 a 35 *οὕτω τῆς τυραννίδος σωτηρία τὸ ποιεῖν αὐτὴν βασιλικωτέραν ἓν φυλάττοντα μόνον, τὴν δύναμιν* codex M^s praebet *ἑνὸς*

φυλάττοντος μόνον, codicem *Γ* quamquam corruptionem *ἑνὸς* accepisset, *φυλάττοντα* retinuisse, sat certo ex translatione „unius servantem solum potentiam“ coucluditur.

Apparet igitur potiorem, quam dicimus, politicorum recensionem fidelissime proditam esse codice Demetri Chalcondylae, qui si ad investigendam archetyphi scripturam adminiculo egebit, primum adeundus est codex Ambrosianus, codicis *Γ* autem memoriam ut pote versione latina obscuratam variisque fucatam correctionibus par est tertium demum locum occupare.

Excursus I.

De codice Parisino litera P^5 signato.

Codicem P^5 a Susemihlio in ed. m.[1]) non tam confidenter gaudeo meliori codicum familiae adscriptum esse quam in prolegomenis editionis prioris.[2]) Atque reapse hunc codicem ex numero eorum esse, qui faciunt alteram familiam, singulae fere paginae eorum librorum, qui in codice P^5 ad nos manserunt, consociatis P^5 Π^2 notis testantur. Neque vero minus perspicuum est, librarium in perscribendo opere potioris familiae fontem in manibus versavisse, unde eas, quas cum illa recensione casu non posse concordare videmus scripturas hauriret, neque puto a re ac veritate nos aberrare, si illum fontem fuisse ipsam quae nobis tradita est vetustam translationem conjiciamus; quode jam Susemihlius videtur cogitasse, quamquam in constituendis verbis prorsus hoc neglexit.

Quam sententiam ad comprobandam plurimum valet distinctio illa capitum quam ex translatione fluxisse, consensus numerorum liquido demonstrat.[3]) Atque etiam quicunque scripturas codicis P^5 a vulgata recensione abhorrentes perlustraverit, facile eum perspecturum confido, fieri non posse quin magna ex parte eas e translatione sumptas esse statuatur. Huius autem opinionis quasi quaedam obrussa debet sita esse in V, 8. 1307

---

[1]) p. XV eqs.

[2]) p. XII eqs.

[3]) Qui numeros istos composuerit, non longius videbit codicem P^5 a translatione discrepare quam ipsi translationis codices inter se dissentiunt.

b 32 qqs. ubi verba *ὑπεισδύουσα* usque ad v. 34 *δὲ ἡ δαπάνη* in codicibus Π^2 omissa et in P^5 ab eadem manu, quae verba continua exaravit, margini adjecta haud dubie ad eundem fontem atque illae correctiones redeunt. Quorum verborum memoriam si accuratius paullo perscensemus haec apparent discrepantiae: codd. P^1 M^s: *παραδυομένη*. translatio: subintrans. cod. P^5: *ὑπεισδίουσα*. P^1 M^s *παρανομία*. tr. praevaricatio. P^5 *παράβασις*. P^1 M^s *τὸ μικρὸν δαπάνημα*. tr. parvae expensae. P^5 *αἱ μικραὶ δαπάναι*. P^1 M^s *ἀναιρεῖ*. tr. consumunt. P^5 *δαπανῶσιν*. Has lectiones satis est apponere, ut apertissime eluceat, codicis P^5 verba ex versione translationis latinae esse profecta. Quare et Bekkerum et Susemihlium longissime hoc loco a vero aberrasse non est quod moneamus.

Excursus II.

Aristot. polit. VIII, 7. 1341 b 32 — 1342 a 28.

Verba illa quibus Aristoteles agit de tribus artis musicae generibus eorumque finibus mirum quantum a viris doctis et perperam illustrata sunt et conjecturarum lusibus vexata. Aristoteles enim primo enuntiato a philosophis modos (*τὰ μέλη*) in ethicos, enthusiasticos, practicos dividi probat adjicitque non ad unum eos tendere sed ad plura: *καὶ γὰρ καὶ παδείας ἕνεκεν* (sc. *χρῆσδαι δεῖ*) *καὶ καθάρσεως, τρίτον δὲ πρὸς διαγωγὴν πρὸς ἄνεσίν τε καὶ τὴν τῆς συντονίας ἀνάπαυσιν,* quae verba Bernaysius egregie, ut solet, ita explicavit[1]) ut Aristotelem diceret tres artis musicae fines statuere voluisse, quorum primum contineri *παιδείᾳ*, alterum *καθάρσει,* tertium significari verbis *πρὸς διαγωγὴν κτλ.*, modo ne *πρὸς ἄνεσίν τε καὶ πρὸς τὴν τῆς συντονίας ἀνάπαυσιν* pro appositione ad *διαγωγὴν* adjecta habendum esse censeam sed pariter atque ipsam *διαγωγὴν* alteram tertii finis partem exhibere. Quam explicationem me judice verba quae sequuntur aperte docent. Nam enuntiato insequenti Aristoteles *κάθαρσιν* et *διαγωγὴν, ἄνεσίν τε καὶ ἀνάπαυσιν* una appellatione complexus duos fines distinguit, cum dicit: *φανερὸν ὅτι χρηστέον . . . . πρὸς μὲν παιδείαν ταῖς ἠθικωτάταις* (sc. *ἁρμονίαις*)[2]), *πρὸς δὲ ἀκρόασιν ἑτέρων χειρουργούντων καὶ ταῖς πρακτικαῖς καὶ ταῖς ἐνθουσιαστικαῖς,* quorum verborum expositiones ita instituit, ut illa *πρὸς παιδείαν ταῖς ἠθικωτάταις* a versu 28 demum explicet *πρὸς δὲ παιδείαν ὥσπερ εἴρηται τοῖς ἠθικοῖς τῶν μελῶν χρηστέον κτλ.* horum *πρὸς δὲ ἀκρόασιν ἑτέρων χειρουργούντων καὶ ταῖς πρακτικαῖς καὶ ταῖς ἐνθουσιαστικαῖς* explicationem particula *γὰρ* adnexam et usque ad v. 28 pertinentem continuo aggrediatur. Haec cum satis clara ac dilucida mihi videantur Liepertus[1]) et Susemihlius gravissimam putant offensionem in eo positam esse, quod *κάθαρσις* et *διαγωγή* per totam hanc disputationem secernuntur, id quod cum ipsa rei natura acriter pugnare opinati mirabiles illas conjecturas tentarunt, quibus et supra pro *τρίτον δὲ* proposuerunt *καὶ ταῦτα* vel *ταύτης δὲ* vel *ταύτης δ' ἢ* et hic pro *ἀκρόασιν* scribendum esse *κάθαρσιν.* Sed quoniam quam posuerit Aristoteles notionem *καθάρσεως* maxime ex ipsa hac explicatione discimus, meo judicio par est non nostro nos sensu nixos quid rectum sit quidve falsum judicare sed ex iis quae favente fortuna nobis tradita sunt Aristotelis sententiam studiose elicere. Atque ut de notionibus *καθάρσεως* et *διαγωγῆς* post tot tantasque virorum doctissimorum disceptationes pluribus disputare supersedeam, hoc loco clarius ac luculentius illae distinguuntur, quam ut de Aristotelis sententia dubitari liceat. Namque apparet eam quae sequitur explicationem in duas partes divisam esse, quarum prior continetur verbis *ὃ γὰρ περὶ ἐνίας συμβαίνει πάθος ψυχὰς* usque ad *καὶ πᾶσι γίγνεσθαί τινα κάθαρσιν καὶ κουφίζεσθαι μεθ' ἡδονῆς;* quibus docemur qua ratione fiat, ut *κάθαρσις* arte musica ejusque (cf. v. 9) *τοῖς ὀργιάζουσι τὴν ψυχὴν μέλεσιν* efficiatur. His cum subjiciantur verba *ὁμοίως δὲ καὶ τὰ μέλη τὰ καθαρτικὰ παρέχει χαρὰν ἀβλαβῆ,* etiamsi cetera plane neglegamus *τὰ μέλη τὰ καθαρτικά* omni sensu carere manifestum est atque ab omnibus concessum rectissime a Sauppio correcta esse in *τὰ μέλη τὰ πρακτικά,*[2]) ut hanc recuperemus sententiam: pariter atque *τὰ μέλη τὰ ἐνθουσιαστικά* efficiunt *κάθαρσιν, τὰ μέλη τὰ πρακτικά* praebent voluptatem innocentem", id quod eandem habere vim, quam „efficiunt *διαγωγὴν καὶ ἄνεσιν*" ex iis quae sequuntur dilucide conspicitur. Nam

[1]) mus. rhen. tom. XIV p. 370.

[2]) haec verba accipiunt explicationem ex iis quae Aristotelis disputavit c. 6. 1304 b 20 qqs.

[1]) „Aristoteles und der Zweck der Kunst" Passau 1862 p. 12.

[2]) horum verborum quam Susemihlius invenit translationem vernaculam „die zum Handeln treibenden Melodieen" pravissimam esse, in propatulo est (cf. p. 527).

Aristoteles postquam adnotavit hos maxime modos in publico esse tractandos haec adjecit: *ἐπεὶ δὲ ὁ θεατὴς διττὸς, ὃ μὲν ἐλεύθερος καὶ πεπαιδευμένος, ὃ δὲ φόρτικος ἐκ βαναύσων καὶ θητῶν καὶ ἄλλων τοιούτων συγκείμενος, ἀποδοτέον ἀγῶνας καὶ θεωρίας καὶ τοῖς τοιούτοις πρὸς ἀνάπαυσιν*, quae non intellegi possunt nisi audiamus, hominibus liberalibus actiones atque spectatula reddenda esse *πρὸς διαγωγήν*, id quod confirmatur verbis *ποιεῖ δὲ τὴν ἡδονὴν ἑκάστοις τὸ κατὰ φύσιν οἰκεῖον κτλ.* Qua de causa Aristotelem voluisse censeo et *τὴν διαγωγὴν* et *τὴν ἄνεσίν τε καὶ τὴν τῆς συντονίας ἀνάπαυσιν* tertium artis musicae finem facere, earumque illam pertinere ad homines liberales hanc ad humiles atque sordidos.

VITA.

Natus sum Adolfus Busse Czarnikawiae, oppido Posnaniensi, die XXVIII m. Dec. anni h. s. LVI. patre Guilelmo, matre Augusta e gente Steinkiana, quos adhuc superstites esse gaudeo. Fide initiatus sum evangelica.

Primis literarum elementis imbutus anno h. s. LXIX in gymnasium paedagogiumque Züllichowiense receptus sum tunc temporis a Rudolpho Hanowio rectum, cuius memoriam summa qua decet pietate semper colam. Neque facere possum quin Fr. Hanowio, patris successori, Rohmero, Schillingio, aliis, qui praeceptores carissimi liberalium studiorum amorem mihi inseverunt, gratiam habeam maximam. Autumno a. h. s. LXXVI maturitatis testimonium adeptus Tubingensem universitatem adii per duo semestria studiis philologicis operam daturus. Postea Lipsiam me contuli, cuius civis cum item duo semestria fuissem, Berolinum migravi, ubi adhuc in literarum studia incubui. Scholas frequentavi doctissimorum virorum Tubingensium de Rümelin, Schwabe, Flach, Class, Lipsiensium O. Ribbeck, Lipsius, G. Curtius, Heinze, Berolinensium Vahlen, Kirchhoff, Hübner, Wattenbach, E. Curtius, H. Droysen, Zeller, Müllenhoff, Scherer. Praeterea Lipsiae et proseminarii sodalis fui, quod Lipsius moderabatur et Ribbeckius ad amplissimam societatem Ritschelianam aditum mihi concessit. Berolini seminarii philologi sodalis duo semestria Vahleni et Kirchhoffii doctrina fructus sum totidemque interfui Zelleri exercitationibus Aristoteleis. Quos viros, ut egregie sunt de me meriti, grato me animo colere profiteor, candidissimas autem ago gratias Vahleno, Kirchhoffio, Zellero.

Sentententiae controversae.

1) Theogn. 127 (B.) legendum propono
οὐδέ κεν εἰκάσσαις ὥσπερ πρὸς πωλίον ἐλθών.
Aristotelem scripsisse puto

2) poet. 6. 1499 b 28. *λέγω δὲ ἡδυσμένον μὲν λόγον τὸν ἔχοντα ῥυθμὸν καὶ ἁρμονίαν, ⟨καὶ μέτρον⟩ καὶ μέλος κ. τ. λ.*

3) poet. 6. 1450 a 12. *τούτοις μὲν οὖν οὐκ ὀλίγοι αὐτῶν ⟨ἀλλὰ πάντες καὶ ἐν πᾶσιν⟩ ὡς εἰπεῖν κέχρηνται τοῖς εἴδεσιν.*

4) polit. II,5. 1263 a 36. *ἔτι δὲ ἵπποις καὶ κυσὶ κἂν δεηθῶσιν ἐφοδίων ἐν ταῖς ἄγραις κατὰ τὴν χώραν.*

5) polit. II,2. 1261 a 13. *ἔτι δὲ πρὸς ὅ τέλος φησὶ τῇ πόλει δεῖν ὑπάρχειν, ἀδύνατον.*

6) polit. II,5. 1264 b 18. *ἀδύναιον δὲ εὐδαιμονεῖν ὅλην μὴ τῶν πλείστων ἢ πόντων μερῶν ἢ μὴ τινῶν ἐχόντων τὴν εὐδαιμονίαν.*

7) Plaut. Mostell. vv. 199 et 200 (R.) sic emendandos esse censeo

Ex factis nosce rem. vides quae nunc sim: et quae fui ante!
Nihilo ego quam tu sum minus amata atque uni gessi morem.

8) Plaut. Mostell. 212.

Illa hanc corrumpit mulierem malesuada invisa lena.

9) Verba Horatiana (ep. II, 1, 58).

Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi intellegi debent de fabulis motoriis, quales dispiciuntur e. g. ex Terenti Heantontim. prol. 35—40 cf. Euanth. de trag. et com. et Athen. VI, 236.

10) Cic. de fin. I, 16. 40 scribi volo: sic de justitia judicandum est, quae non modo nunquam nocet cuiquam, sed semper *addit aliquid* qqs.

11) Vell. Paterc. I, 18. 1 conjicio

Una urbs Attica pluribus *armis* eloquentiae quam universa Graecia operibusque floruit.
traditum est: annis.

12) In superioribus gymnasiorum classibus fabulas quasdam Plautinas et Terentianas legendas esse judico.